





*P. C. 6. 3*  
1753, 3 Pub. 8 num. 46.

4

ORIGINES  
PRAE CIP VORVM IVRIVM  
ARCHIEPISCOPI ET S. R. I. ELECTORIS  
COLONIENSIS

POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

G E O R G I O II.

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIB. REGE  
DEFENSORE FIDEI

BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCE  
S. R. I. ELECTORE ET ARCHITHESAVRARIO  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*IN GEORGIA AVGUSTA*  
INCLVTI ORDINIS IVRIDICI AVCTORITATE

*PRAE SIDE*  
GEORGIO LUDOVICO  
BOEHMERO D.

CONSILIARIO REGIO AVLICO ET ANTECESSORE  
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS OBTINENDIS  
DISQVISITIONI IN AVGVRALI SVMITTIT  
AVGVSTVS EVGENIUS BERNARDVS FRANCISCVS  
BODIF E  
BONNENSIS.



ANNO CIJ 13 CCLIII. D. XVII. AVG.

GOTTINGAE,  
TYPIS GEORG. LUDOV. SCHVLTZII, ACAD. TYPOGR.

PRAEFATI VORUM TAVRIN  
ARCHIEPISCOPALIS ET S. R. T. E. F. T. O. R. I. S.  
COFONNISI

POSTUSSIMO PRINCIPALI MUNIMENTO  
DOMINO

GEOGRAPHIA

MAPA SILEVANIAE ET LIPSIENSIS  
DESENZORI TIBI  
HABUNDANCIA ET LUXURIA  
ET LIBERTEATORES ET AEGAEI  
RECTELE MONUMENTA  
IN EASAGIBA ET  
INCIVITATIS ORDINES TERRICOS ALLEGORIAS

GEORGIO LADOMICO  
ROMMERO

CONSTITUTIO AEGAEI ET AEGAEI AVARIA  
LUDOVICIMIS IN ET 6000000000 MONETIS  
ET PRAEVARICANS CERTIFICANDA  
PROCLAMATIONIS INVADESANT SEMPER

VAGABUS EUGENII BERNAEDEA ET

BODIUS

NON EBBIS

NON EBBIS

ET TERRA CLOTTINA  
COFFELINGA  
TERRA CLOTTINA

REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO

# CLEMENTI AVGVSTO

D. G ARCHIEPISCOPO COLONIENSI  
S. R. I. PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO  
ET PRINCIPI ELECTORI  
LEGATO NATO SEDIS APOSTOLICAE  
EPISCOPO ET PRINCIPI  
PADERBORNENSI HILDESIENSI MONASTERIENSI  
ET OSNABRUGENSI  
VTRIVSQVE BAVARIAE SVPERIORIS PALATINATVS  
WESTPHALIAE ET ANGARIAE DVCI  
COMITI PALATINO RHENI  
LANDGRAVIO LEVCHTENBERGENSI  
BVRGGRAVIO STROMBERGENSI  
COMITI PYRMONTANO  
DOMINO IN BORKELOHE ET WERTH  
DOMINO SVO LONGE INDVLGENTISSIMO  
VITAM ET INCOLVMITATEM

EXCEPTE DEDICATIO AD SARTORIUS  
PRINCIPALIS DOMINI  
DONINO  
CLEMENTI  
AVGUSTO  
EGARCHIENSIS COLUMBIENSIS  
ET LITERATUARIA ARCHIACADEMICO  
ET PRINCIPII ET COTTONI  
EGAS MUSICA AVOLICIA  
EGAS PRINCIPI  
LADOBORIENSIS HEDDIBURGENSIS  
ET CONVENTUENSIS  
ATRIAGEAE PAVATIÆ Sacerdoris TALANTIANA  
WESENTHALER ET ANDREAS EGAS  
COMITE FELATINO HEDD  
LANDGRAEVI TRENCHTRINBERGENSI  
BAMBERGIO STROMBERGENSI  
COMITI LYMONIATH  
DOMINO ZE TONGE INDIACENTISIMO  
MATTA ET INCOLUMITATE

REVERENDISSIME ATQVE SERENISSIME  
PRINCEPS  
DOMINE INDVLGENTISSIME,

**Q**uam inter excelsas virtutes TVAS  
omnes venerantur eximiam intuendis li-  
terarum studiis comitatem et indulgen-  
tiam, eadem venerabundo animo confi-  
sus, venia clementissime data vtor, cum  
reve-

reverendissimo Nomini TVO, PRINCEPS  
SERENISSIME, inscribere pia mente au-  
deo specimen academicum quod origines  
tractat iurium, quae in TE maiori lumi-  
ne exsplendescunt. Est illud sedis Coloni-  
ensis inter ceteras Germaniae ecclesias,  
vel praecipuum decus, quod inter ve-  
nerandos suos antistites numeret archie-  
piscopos, non minus virtutum sanctita-  
te, quam natalium splendore illustres.  
Sane ecclesia Agrippinensis non minus  
quondam sub sacerdotio floruit S. Bruno-  
nis, S. Heriberti, S. Annonis, antistitum  
ex stemmate imperatorum Saxonorum  
& ex Gibellino stemmate oriundorum;  
quam seculis recentioribus ornata &  
illustrata est virtutibus archiepiscopo-  
rum

rum quos ex Serenissima Gente Ba-  
uarica inde a seculo decimo sexto serie  
baud interrupta nacta est. Hanc  
felicitatem TVIS auspiciis, REVEREN-  
DISSIME ATQVE SERENISSIME  
PRINCEPS, perennare agnoscunt, qui  
augustas TVAS suspiciunt virtutes,  
sublimen in regendo sacro principatu  
sollicitudinem, rectam semper in con-  
siliis et rebus agendis iustitiam, pater-  
nam in promouenda populi salute  
curam, atque munificentiam et cle-  
mentiam erga omnes prorsus singula-  
rem. Itaque nec gratiam TVAM in-  
dulgentissimam mibi defuturam confido,  
dum submississimum obsequium et ani-  
mum deuotissimum TIBI, SERENIS-

SIME

SCHE

SIME PRINCEPS, probare pia mente  
contendo Deum precatus, ut salutem  
et incolumentem TVAM aliis super alia  
muneribus augere firmare et beare  
baud dignetur.

SERENITATIS TVAE  
REVERENDISSIME ATQUE INDVLGENTISSIME  
DOMINE

DEMISSISSIMVS ET SVBIECTISSIMVS CVLTOR

AVGVSTVS EVGENIVS BERNARDVS FRANCISCVS  
BODIFE.



## PROOEMIUM.

Rerum Coloniensium origines nondum eadem diligentia scriptis in lucem editis excusae sunt, quam qua prouinciarum ecclesiasticarum vicinarum historia exornata est. In *rebus Moguntiniis* illustrandis studia eminuerunt GEORGII CHRISTIANI IOANNIS, et qui easdem Codice diplomatico instruxit, Generosissimi Domini VALENT. FERD. DE GUDENVS. In *rerum Treuirensium* originibus exponendis cum laude versati sunt CHRISTOPHORVS BROWERVS,

A

IA.

IACOBVS MASENIVS, et qui nuper *historiam diplomaticam Treuirensem* edidit, Vir Rever. IO. NICOLAVS AB HONTHEIM. Coloniensium archiepiscoporum vitas eorumque successionem breuiter perfecutus est DIONYS. SAMMAR THANVS in *Galliae Christianae tomo III.* Nonnullorum archipraesulum vitae sigillatim descriptae sunt, recensitae in *bibliotheca historica Struvio-Buderiana p. 996.* Ad *notitiae S. R. I. Boeclerianae caput*, quod de Electore Coloniensi agit, commentatus est IO. HENRICVS FELTZIVS in diss. de *Electore Coloniensi. De admiranda sacra et ciuili Magnitudine Coloniae Claudiæ Agrippinensis Vbiorum Vrbis libros IV. A. 1645.* scripsit AEGIDIUS GELENIVS, Historiographus Archiepiscopalis, in quibus praeter ea, quae ad decora vrbis ciuilia et ecclesiastica pertinent, varia ad Archiepiscopatus historiam spectantia sparsim inseruit. Eumdem Virum singularem tractatum parasse, quo rerum Coloniensium origines, et sedis archiepiscopalis iura et priuilegia ex diplomatis erueret, obseruauit BERNARDVS A MALLINCKROT in tr. *de archicancellariis* in not. p. 281. quod institutum eum ex parte prosecutum esse, patet ex collectaneis de *metropoli Coloniensi*, quae multis voluminibus collecta, in MSCtis latere docuit ECCARDOVS in *praefatione ad tom. I. historiae Franciae orientalis.*

*talis. Simile fere opus, praeclaro instituto, ante aliquot annos meditatus est OLLIVERIUS LIGEPON-  
TIVS Ord. S. Benedicti professus abbatiae ad S. Marti-  
num Maiorem Coloniae, quamquam et huius proposi-  
tum intra fines conaminis perfisterit. Cum operis  
propositi sciagraphia nobiscum sit humanissime com-  
municata: non ingratum beneuolo Lectori fore  
existimamus, primas operis infecti lineas intueri, eis-  
que exhibitis, vel instituti laudabilis memoriam  
seruare, vel ad expoliendum opus aliorum industriam  
excitare. Tabulae conspectus haec sunt. PROPYLAEVM  
exhibet Historiae ignographiam amplissimi Archiepiscopatus  
Coloniensis, rerunque prouincialium scriptores, et alia  
praeliminaria. PARS I. Veteres origines, rerum-  
que Ciuilium vicissitudines, fata et incrementa reprae-  
sentat, his capitibus. I. Agit de Vbiorum originibus,  
de que conditu, nomine, progressu, et amplitudine ur-  
bis agrippinae. II. Praecipua Ciuitatis, et prouinciae  
ornamenta, aliaque memoratu digna recenset. III.  
tractat de exordiis, et propagatione Religionis christia-  
nae apud Vbios vicinasque gentes. IV. De ortu et pro-  
gressu Hierarchiae Ecclesiasticae apud Agrippinenses.  
V. De prima Ecclesiae Coloniensis in Metropolim erek-  
tione, et de ipsis progressibus. VI. De Episcopatibus,  
Coloniensi Metropoli suffraganeis, eorumque exordiis, fatis,  
et incrementis. VII. De Conciliis, et Synodis in Ar-*

PROOEMIVM.

4

chi-Dioecesi Colonensi ab anno aere Christi. 346. celebratis. PARS II. Iura, praerogatiwas, dignitates, et ornamenta Ecclesiae Colonensis complectitur. CAPVT I. De primatu, et aliis praerogatiwas Ecclesiasticis Archi-Episcoporum Colonensium. II. Gloria et Eminentia Antistitutum Colonensium in dignitate et functione Legatorum Sanctae Sedis Apostolicae. III. De eorundem dignitate, et officio Archi-Cancellariorum S. Sedis Apostolicae. IV. De Cardinalatu S. R. E. tit. S. Ioannis ante portam latinam, Colonensibus Archi-Episcopis attributo. V. Agit de Augustalibus Archi-Praesulum Colonensium praerogatiwas in genere. VI. De Archi-Cancellariatu Imperii Romano-Germanici Colonensibus Archi-Episcopis competente. VII. Dignitas et eminentia Archi-Episcopi Colonensis in electione Imperatorum et Germaniae Regum. VIII. De dignitate et officio primum Diadema imponendi Germaniae Regi, ac inde resultante titulo Archi-inauguratoris. IX. De officio Archi-Thesaurarii, prolis regiae tutoris, et Augustalium ornamentorum Custodis, eidem Competente. X. De sessione, proedriae et aliis functionibus in Congressu Electoralii Archi-Episcopo Coloniensi debitibus. XI. De Regalibus, aliisque praerogatiuis saecularibus Principis Electoris Colonensis. XII. De Ducatibus, Comitatibus, aliisque ditionibus Coloniensi Archi-Episcopo obnoxius. XIII. De Iuribus superioritatis et dominii in patriam Ciuitatemque Colonensem. XIV.

XIV. De Minoribus Nobilium feudis, Metropoli Coloniensi annexis, deque Controversia super iis orta et composita. XV. De reliquis praetenensionibus illustrioribus Archi-Episcoporum Colonensium. PARS III. Colonensium Antistitum seriem chronologico-historicę ad haec usque tempora deductam exhibet. PARS IV. Dabit Bullas, diplomata, chartas, et alia probationum instrumenta, quotquot reperiri poterunt, quae sedulo, si forte lateant, proferre in lucem, quemque inde contraxere situm, conueniente lima detergere, atque expolire studebimus. Et eiusmodi omnino praesidiis opus erat operi tantae amplitudinis pertexendo, illis relicto, quibus ex publicis armariis diplomatum instrumentorumque repetere contingit apparatus. Sed tanta aliquorū consilia exposuisse fere poeniteret, lectoris benevoli iudicio subiicientes academicam dissertationem, nisi vel inde benignius expectare iudicium liceret in instituto, longissime remoto ab eorum proposito, qui omnem Metropoleos historiam expōnere in animum induxerunt. Namque id operam tantum dedimus, ut origines iurium praecipuorum Archiepiscopi et Electoris Coloniensis, ex idoneis medii aei, quoad suppetunt, fontibus breui commentatione illustraremus.

A 3 DIS.



## DISSEKTATIO IN AVGVRALIS.

DE

### ORIGINE IVRIVM PRAECIPVORVM ARCHIEPISCOPI ET S. R. I. ELECTORIS COLONIENSIS.

§. I.

*Colonia Agrippinensis Germaniae secundae metropolis civilis.*

**Q**uod in inferiori Rheni parte floruit *Vbiorum Oppidum*, nomen, honorem et amplitudinem accepit a Romanorum colonia, quam suasu atque impulsu coniugis *Agrippinae* in illud deduci iusserat **CLAVDIVS**; inde enim oppido nomen ex ipsius *Agrippinae* vocabulo inditum esse auctor est **TACITVS**, a) et ideo inter Romanos **COLONIA CLAUDIA AVGUSTA AGRIPPINENSIVM** vocata est. b) **Noua COLONIA AGRIPPINENSIS** iuris Italici beneficio gavisa est; c) qua praerogativa

a) **TACITVS** *Annal. lib. 12. c. 27. et de morib. Germ. c. 28.*

b) **IAN. GRUTERVS** in *Synt. inscript. p. 436. n. 7.*

c) **L. 8. §. 2. D. de Censib.**


va coloniae fruebantur Imperatorum beneficio d). Diu floruit sub Romanorum imperio ciuitas ampla et copiosa, teste AMMIANO MARCELLINO, e) et celebrata subinde Imperatorum Romanorum ad eam aduentu, siquidem a Constantino M. et Valentiniiano nonnullas leges Agrippinae datas esse legimus. f) Caput fuit Germaniae secundae, quae partem facit tertiae Galliae partis, Belgii nomine insignis, et a Sequana et Matrona usque ad Rhenum longissime patentis: haec enim Galliae pars, quae generatim Belgica vocatur, in Belgicam stricte sic dictam, primam et secundam, cuius metropoles Treuiris et Remorum ciuitas erant, et in Germaniam primam, metropoli Moguncia celebrem, ac in Germaniam secundam diuisa erat. Huius vero metropolim A GRIP PINAM nominat AMMIANVS, g) et, Nunc numerantur, inquit, provinciae per omnem ambitum Galliarum: secunda Germania, ab Occidentali exordiens cardine, Agrippina et Tungris munita, ciuitatibus amplis et copiosis. In Notitia provinciarum et ciuitatum Gal liae

d) EZECH. SPANHEMIVS de Orbe Rom. Cap. XIX. p. 324.

e) lib. XV. c. II.

f) L. vn. C. Th. ne damna provincial. infig. data Agrippinae a Constantino Magno L. 1. C. Th. et L. 2. C. lusi. sine censu et reliquo. data Agrippinae a Valentiniiano Imp.

g) lib. XV. c. II.



iae, b) Honorii Aug. ut videtur temporibus condita, primaria ciuitas prouinciae Germaniae secundae habetur *Metropolis ciuitas Agrippinensium*. Romanorum viribus seculo V. in Gallia Belgica oppressis, Colonia Francorum imperio paruit, ab his vastata, i) sed ornata iterum, cum et *Franci Ripuarii* eam habuerint *metropolim k)*. Inde SIGEBERTVS *Gemblocensis l)* *Colonia*, inquit, *ciuitas frequentissima* et post *Mogunciam caput et princeps Gallicarum urbium*.

### §. III.

b) Eamdem DIONYS. SAMMAR THANVS praemisit *Galliae Christianae* tom. I. eb init. Error irrepit in *Isidori Episcopi* breuem annotationem de ciuitatibus metropolit, quam inter GOLDASTI *animadversiones ad Eginhardum de Vita Caroli M.* recenset SCHMINCKIVS in editione Eginhardi p. 216. vbi *Agripina male habetur primae Germaniae, et Moguntia secundae Germaniae Metropolis*.

i) SALVIANVS de gubernat. Dei lib. VI. p. 113, eius rei mentionem init. Non enim agitur in *Mogunciacensium ciuitate*; sed quia excisa est. Non agitur *AGRIPPINAE*, sed qui hostibus plena. Non agitur in *Treuirorum urbe excellentissima*, sed quia quadruplici est euersio prostrata. Paulo post addit p. 122. de colonia verba faciens. Quid in alia non longe sed prope eiusdem magnificientiae ciuitate? Nonne eadem et rerum pariter ruina et morum?

k) Vid. HERTIVS in *notitia regni Franc.* ver. c. I. §. 10. et IO. ECKHARDVS *rer. Franc.* lib. II. §. 13. et lib. III. §. 5.

l) SIEGEBERTVS ad a. 1074. Quod vero *Gallicarum urbium* eam fere principem nominet, inde est, quod nouae sedes, quas Germani, superato Rheno, in sinistra fluminis ripa fixerunt, Galliae nomen seruauerint, indeque *Germania secunda* *Galliae Belgicae pars* habetur.

¶

*De origine Metropoleos Coloniensis ecclesiasticae  
variae sententiae.*

Quae fuerint religionis Christianae apud Agripinenses auspicia, et utrum inde a reparatae salutis seculo primo inclarerit ecclesia Colonensis, prorsus incertum est: a) quamquam ecclesiam Colonensem seculo quarto ineunte Constantini M. aetate floruisse ejusque Episcopum *Maternum* Concilio Arelatensi a. 314. interfuisse constet. b) Sed *archiepiscopatus* modo natales, pro instituti ratione, persequemur, quae incident in idem *seculum octauum*, quo ad Metropolim ecclesiasticam enecta est *Moguntia* c), vtraque ecclesia, *Moguntina* et *Coloniensi*, aemula omnino in dignitate metropolitica impetranda. Annum seculi VIII, quo metropoleos honore or nata sit ecclesia Colonensis, definiri vix posse, agnouit *Franciscus Pagi*, d) quamquam istam mutationem intra annum 794. et 799. contigisse existimet. *Aegidius Gelenius* medio seculo VIII. Agilolfum hac di-

gnit.

a) Quod praecclare docuit Vir. Exc. IO. DAV. KOELERV<sup>S</sup> in *diss. de Germanis Christianis in seculo II.* §. VI.

b) DIONYS. SAMMARTHANI *Gallia Christ.* Tom. III. p. 621.

c) NIC. SERARIUS *rerum Mogunt.* lib. I. c. XXII. p. 51. seq.

d) in *Critica ad Baronii annal.* a. 745. n. 6.



gnitate a Bonifacio ornatum esse autumat. e) Petrus de Marca f) ius metropoliticum ecclesiae Colonensis antiquius esse, et seculo IV. huic sedi iam datum, eiusdem memoriam deinceps obscuratam, denique rescripto Zachariae PP. a. 744. renovatam esse censet. In eandem fere sententiam abit Carolus Cointe g) metro-  
leos origines ad aetatem Faramundi et Clodionis re-  
ferens, dignitatemque metropolitanam sub Carolo M. tantum renovatam esse arbitratus. Cum origines metropoleos ex sententia Francisci Pagi ad seculum VIII. referret Ignatius Rodrique in *disquis. I. et III. de abbat. monasteriorum Stabulensis et Malmundariensis*, aduersarium nactus est ex soc. Jesu Josephum Hartzheim, qui in *disquis. de initio metropoleos ecclesiasticae Coloniae Clau- diae Augustae Agrippinensium*, Coloniae a. 1600ccxxxl. edita, ostendere contendit, dignitatem archiepiscopatus Colonensis seculo primo in *Materno*, qui tam-  
en ex certiori sententia seculo IV. floruit episcopus Colonensis, coepisse, seculo medio octavo vero confirmatam tantum fuisse. Argumentis docte sa-  
tisfecit Ignatius Roderique in libello eodem anno edi-  
to, sub titulo: *S. Colonensis ecclesiae de sua metropoleos ori-*

e) in tr. de magnit. Colon. p. 41

f) in diff. de primat. §. 75.

g) in *Annal. Eccles. Francor. ad a. 746. n. 34. tom. V. p. 165.* & in indice poster. episcopar. tom. I. et II.

❧      ❧      ❧

origine traditio vindicata: quamquam eidem responderit Hartzhemius in disquisitione secunda et tertia de initio metropoleos Colon. a. 1732. edita.

§. III.

*Colonia primum Bonifacio archiepiscopo sec. VIII. data in metropolim.*

Verior sententia est, ecclesiam Colonensem seculo demum octavo sub Carolo M. ad metropoleos dignitatem erectam esse. Celebratur hoc seculum legatione BONIFACII, a GREGORIO PP. II. in Germaniam missi, ab eodem episcopi ordinati, et ab eius successore Gregorio PP. III. a. 732. dignitate Archiepiscopi ornati. a) Qui cum archiepiscopus esset regionarius seu nulli sedi adscriptus: b) cogitatum est sub Carolomanno et Pipino Francorum principibus & acta ac communicata sunt cum Zacharia, Gregorii III. successore, consilia de metropoli in Germania Prima et Secunda constituenda, quae Bonifacium acciperet Archiepiscopum. Nondum enim in utraque Germania constituti erant Archiepiscopa-

B 2

tus

a) OTHILONVS in vita Bonifacii lib. I. c. 18. et 32. in GE. CHRIST. IOANNIS tom I. rer. Mogunt. p. 215. et 222.

b) HINCMARVS Rhemensis epist. VI. c. 19. Bonifacium per annos XXV. in praedicatione per Germaniam sine Cardinali sede versatum esse refert.




tus, prout non raro contigit inter populos recens ad Christianam fidem conuersos, inter quos episcopi subinde fuerunt sine metropolitanis, donec aucto Christianorum numero pluribusque episcopatibus institutis formari posset quaedam provincia ecclesiastica c.) Ipse Bonifacius in literis ad Zachariam a. 743. datis, d) exposito clericorum in Germania statu, *Franci, inquit, id Seniores dicunt, plus quam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt: nec archiepiscopum habuerunt.* Nata prima est constitutae metropoleos occasio, sede Coloniensi per obitum Reginfridi Episcopi a. 745. vacante. In hanc mox studiis suis inclinabant Carolomannus et Pipinus, ut in metropolim electa committeretur Bonifacio in sedem perpetuam. Rem omnem Zachariae PP. probatam esse docet eiusdem Epistola ad Bonifacium e,) quae est responsoria ad tres eiusdem epistolas. In prima parte recenset illud Francorum consilium, de quo a Bonifacio certior effectus erat. *De eo, inquit, quod suggestissi, quod elegerunt unam ciuitatem omnes Francorum principes, pertingentem usque ad paganorum fines & in partes Germanicarum gentium, ubi antea praedicasti, quatenus ibi sedem me-*

c) CLAVDIUS FLEVRY inf. inv. eccl. P. I. c. 15. §. 1.

d) apud OTHLONVM l. c. lib. II. c. 2. p. 239.

e) apud OTHLONVM l. c. lib. II. cap. VIII. p. 250.



metropolitanam perpetuo habere debebas & inde ceteros episcopos instrueres, in viam rectitudinis, & post tui successores perpetuo iure possideant, hoc quod decreuerunt, nos lacto suscipimus animo eo quod ex Dei nutu factum est. In extrema epistolae parte, qua ad tertiam Bonifacii respondet, id quod Francorum Principes decreuerant, confirmat & iura metropoleos ecclesiae Coloniensi tribuit. De civitate namque illa, inquit, quae nuper Agrippina vocabatur, nunc vero Colonia, iuxta petitionem Francorum, per nostrae auctoritatis praecipuum nomini tuo metropolim confirmauimus, & tuae Santitati direximus pro futuris temporibus eiusdem metropolitanae ecclesiae stabilitatem.

#### §. IV.

*Colonia mox rursus subiecta Moguntiae.*

Sed non diu perseverauit illud institutum. Sed Moguntinae tum praeerat Gewielieb seu Geruilio Episcopus, ob sumtam de nece patris sui et antecessoris Geroldi vindictam homicidii reus habitus. a) Caussa ejus acta est in synodo, ex pracepto Carolumanni a Bonifacio, iam tum Coloniensi Archiepiscopo, coacta. In qua cum Gewielieb ab ordine episcopal remoueretur: aequissimum visum est Francorum principibus, metropolitanam Bonifacii ca-

B 3 the-

a) COINTE Annali ad a. 744. n. 15. et ad a. 746. n. 32.



thedram Moguntiae collocare, et Germaniae primae metropolim ciuilem praferre metropoli Germaniae secundae. Qua de re OTHLONVS:<sup>b)</sup> *Quo deposito*, inquit, *statim S. Bonifacius a supradictis principibus Karolomanno videlicet et ut Pipino fratre eius ecclesiae Mogonciaciensi praeficitur*, et eius dignitas eminentior foret, decreverunt iidem principes, ecclesiam Mogunciacensem, quae prius ALTERI SVBIECTA erat, metropolim omnium in Germania positarum ecclesiarum efficere; moxque legatione facta, illud a praesule apostolico imperauere. Zachariae literas id a. 748. comprobantis seruauit OTHLONVS:<sup>c)</sup> *sancimus, ut supra dicta ecclesia Moguntia perpetuis temporibus tibi et successoribus tuis in metropolim sit confirmata, habens sub se has ciuitates, Tungris, COLONIAM, Wormatiam, Spiratiam & Trecis, & omnes Germaniae gentes, quas tua fraternitas per suam praedicationem Christi lumen agnoscere fecit.* Quod Moguntiam prius alteri subiectam fuisse referat OTHLONVS, respicit ad prius institutum, quo Coloniensis ecclesia a. 745. Bonifacio a Francorum principibus delata, & utriusque Germaniae, quae tum archiepiscopo carebat, metropolis Zachariae praecepto constituta erat. <sup>d)</sup> Translatione deinde su-

<sup>b)</sup> in vita Bonifacii lib. I. c. 44. l. c. p. 232.

<sup>c)</sup> lib. II. c. 15. ibid. p. 264.

<sup>d)</sup> Gundlingius in Gundlingianis Part. XVIII. n. 1. §. x. existimat, verba



scepta, et *Moguntia* in vtriusque Germaniae metropolim euecta, huic rursus *Coloniam* vna cum Tungrensi et Traiectensi ecclesia subiecit Pontifex.

### §. V.

*Colonia inde per aliquot annos sub Episcopis floruit.*

Ab eo tempore, quo *Colonia Moguntinae* metropoli ex *Zachariae* praecepto subiecta est, sub episcopis per quinquaginta fere annos floruit. Mox ab illa translatione Bonifacii ad sedem *Moguntinam* circa annum 746. Episcopum accepit AGILOLFVM.

a) Abbatem *Stabuleti* et *Malmundarii*, episcopatum paulo post a. 750. abdicantem. Hic successorem habuit HILDEGARIVM; quem annales, prout id ferebat noui instituti ratio, episcopum nominant, et *Hildegarium episcopum* a. 753. occisum esse referunt.

b) HILDEBERTVM successorem in lite inter ipsum

&

Othloni ita accipi posse, vt *Moguntia Coloniae* subiecta sit. Sed dum illam huic prius subiectam esse dicit, anteriora tempora respicit non praesentem commutationem, Ipse Othlonus in prologo vitae Bonifacii §. 3. apud Ioannem l. c. p. 206. quam subiectam deinceps scripsit, subiectam esse dicit his verbis: *quantam gratiam a Francorum principibus, Karolo-manno scilicet et Pipino obtinuerit, qui postquam eum ecclesiae Moguncianae consi-praeulem decreuerat, eandem, quae prius ecclesiae alteri SVBDITA erat, pro illius amore simul et honore, metropolim tenuis Germuinie, Apo-*  
*stolico Pontifice consentiente, efficerit.*

a) CAR. COINTE Annal. Franc. ad a. 746. n. 34. tom. V. p. 166.

b) Annales Francorum ad a. 753. in MART. POVQVET Recueil des

bb



& Bonifacium Ultraiectinum episcopum enata, non nisi episcopum appellat Bonifacius in literis ad Stephanum PP. datis: c) Nunc autem Coloniensis episcopus illam sedem episcopi Clementis a Sergio Papa ordinati sibi usurpat & ad se pertinere dicit. BERTHOLINVS anno 761. praesul Coloniensis factus, praecepto Pipini pro monasterio Prumiensi dato subscripsit Bertholinus Episcopus. d) Neque nullum archiepiscopalis dignitatis vestigium sub RICVLPHO, ipsius successore, deprehenditur. e)

## §. VI.

*Natales Archiepiscopatus Coloniensis sub Carolo M.*

Ad HILDEBALDI, Ricalphi in episcopatu Co-  
lo-

historiens de France tom. V. p. 13. 17. et 63. ADO Viennensis Archiep.  
in Chron. ad a. 753. ibid. p. 306. ANNAL. MET. ad eund. an.  
ibid. p. 336.

e) literas habet COINTE l. c. at a. 753. tom. V. p. 411.

d) apud MABILLON. tom. II. annal. Bened. p. 705. & MART. POV-  
QVET. l. c. tom. V. p. 707.

e) Existimauit COINTIVS tom. VI. annal. p. 136. post ann. 755. ius metropoliti-  
cum per Germaniam secundam restitutum esse Coloniae, quamquam an-  
nus certus definiri nequeat: eamque in rem argumentum ex eo deducit,  
quod Albricus Episcopus Traiectensis a. 777. in Colonia ciuitate acce-  
perit gradum episcopalem. Sed non sine ratione regerit FRANC.  
PAGI in Crit. tom. III. p. 352. ex eis non magis sequi episcopum Colonie  
ensem fuisse metropolitam, quam Wormaciensem eandem dignitatem obti-  
nuisse ex eo, quod in Vita S. Willebaldi Bremensis episcopi dicitur, eum in  
vermarienti ciuitate consecratum esse.



loniensis successoris, aetatem auspicia metropoleos certissima referenda sunt. Primis quidem praesulatus sui annis ipsius adhuc, ceu *episcopi*, indubia mentio occurrit in Capitulari Francofurtheni anni 794.

a) *Dixit Dn. Rex in eadem synodo ut a Sede apostolica id est ab Hadriano pontifice licentiam habuisset, ut ANGILRAMNUM ARCHIEPISCOPVM in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eandem synodum, ut eodem modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam HILDEBOLDVM EPISCOPV M habere dehuisset: quia & de eodem sicut & de Angilramno Apostolicam licentiam habebat.* Non fortuita ibi sed curatior Hildeboldi Coloniensis episcopi mentio occurrit, cum ipse, episcopus, *Angilrammus*, Archiepiscopus nuncupetur, b) habitu omnino curatiori dignitatis ecclesiasticae vtriusque in publica synodo discriminatur. Idem vero Hildeboldus annis mox in sequentibus honore archiepiscopali ornatus est. Et

fug-

a) apud STEPH. BALVZIUM tom. II. capitular. p. 263. Vnde genuina non agnoscentur Caroli M. diplomata, que ante a. 794. ab Hildealdo, ceu Palatii regi Capellano recognita proferuntur, de quibus videtur J. G. ECCARDI Censura diplomatica Carolini de Scholis Osnabrug. M. 15. §. 3. Huc pertinet praecipuum Caroli M. pro Trutmanno Comite, & diploma Caroli M. de fundatione Episcopatus Bremensis de a. 788. apud Adamum Brem. hist. Eccles. lib. I. c. 10.

b) Rationes quare Metensis episcopus *Angilrammus* et sum eo *Urbicus*, Chro-

C



suggerunt omnino varia istius aeuimomenta restituta dignitatis metropoliticae, quae Coloniae sub Bonifacio in primo flore mox defloruerat, probabiles rationes. Carolus M. regni sedem constituturus ciuitatem Aquensem hoc honore distinxit, alteram Romam eam efficere contendens, dum Palatium ibidem magnifice exstructum *Lateranense* appellauit, c) et Basilicam columnis marmoribusque, Roma et Rauenna adiectis, exornauit. d) Quando vero sedi regiae, ita enim Aquensem ciuitatem vocat Eginhartus, e) is honor haberi non poterat, qui solebat alioquin primariae regni civitati ex metropoliticae dignitatis praerogativa tribui, cum ipsa dioecesi Coloniensi subesset: ex re omnino videbatur, Ordinarium loci honore archiepiscopali ornare, ecclesia Coloniensi in Metropolim euecta. Consilium promouebat ipsius Hildebaldi, q uia tum cum apud Carolum M. tum apud Hadrianum et Leonem

PP.


*degangus et Drogo titulo archiepiscopali distinguuntur, explicat PAGI ad a. biv. n. 8. tom. III. p. 324. Usus archiepiscopalis tituli sub Chrodogango observat. AVG. CALME T. hist. de Lorraine tom. I. p. 524. de eiusdem usu vid. Chron. Metensium Episcop. apud LVC. d' ACHERIVM sp. huq. 8. cit. eccl. tom. II. nou. edit. p. 228.*

c) EGINHARTVS in via. Caroli M. c. 22.

d) Plura eam in rem testimonia proposita sunt in Gundlingianis Part. XVIII

N. II. §. 5. p. 241.

e) Eginhartus I. c. c. 26.



PP. valebat auctoritas.<sup>f)</sup> Namque inde ab anno 794. sublimi Sacri Palatii archicapellani munere functus negotia imperii ecclesiastica tractabat, *Imperatoris familiarissimus* dictus.<sup>g)</sup> Nec deerant recens per Westphalam conditi episcopatus, ad nouam prouinciam ecclesiasticam constituendam. Nec deesse videbatur occasio consensum Moguntini Archiepiscopi, in tollendo Coloniensis et Leodiensis ecclesiae cum metropoli sua nexu, consensum impetrandi ob nouos per Germaniam institutos episcopatus Moguntinae prouinciae rursus subiiciendos. Itaque sub Carolo M. episcopatus Coloniensis, Proutinciae Moguntinae, cui ex Zachariae instituto haec tenus suberat, subtractus, in archiepiscopatum euectus est. Id quidem inter annum 794. et annum 799. contigisse non incongrue suspicatus est FRANCISCVS

PA-

<sup>f)</sup> Leonis PP. III. gratiam init in eiusdem in Germaniam itinere ac redditu & in inquisitione Romae aduersus autores motae seditionis susceptra. Si vera sunt que, sine idoneo testimonio tradit COINTE <sup>ad a.</sup> 794. n. 98. eum apostolicae fedis apocristarum fuisse, maior adhuc intelligitur eius apud papalem auctoritas.

<sup>g)</sup> ita eum appellat Theganus de gestis Ludouici Pii cap. 7. in MART. POVQVETI Colloft. tom. VI. p. 76. In Catalogo archiepiscoporum Coloniensium apud Gelenium de magnit. Colon. p. 42. ita laudatur:

Hildeboldus Carolo Magno gratissimus: heros

Virtutum titulis magnus et ipse fuit.

C 2



PAGI; b) cum ANASTASIVS, i) iter Leonis PP. III. in Germaniam describens, huic a Carolo M. Hildebal-  
dum archiepiscopum et Capellaniū obuiam missum  
esse referat. Inde vero ecclesiarum metropolitana-  
rum XXI. quae in Imperio Francico floruerunt, nu-  
merum exornare coepit Colonia Agrippinensis, Ger-  
maniae secundae metropolis. Illarum numero tum  
ipsum ecclesiam Colonensem nominatim recenset Imper-  
ator CAROLVS M. diuisionis tabulas anno 811.  
conditurus, k) tum eius ARCHIEPISCOPVM nomi-  
nat HILDEBALDVM, ipsius diuisionis Carolinae te-  
stem.

### §. VII.

#### *Metropoleos Coloniensis suffraganei.*

Prouincia ecclesiastica Colonensis illustris fuit  
episcopatibus, eidem subiectis. Ex quo ecclesia  
Colonensis nexus sedis Moguntinae soluta est; eccle-  
siam Leodiensem et Ultraiectinam, quae ex Zachariae  
praecepto Moguntiam respiciebant, iuri metropoli-  
tico Colonensi mox subditas esse verisimile est.  
Hildeboldum, Colonensem antistitem, Metropoli-

tcm

b) in *Critica ad Baron.* ad a. 794. p. 398.

i) de vitiis Rom. Penit. p. 181. et 182.

k) CAROLI M. diuisionem & quam de thesauris suis XXI. metropolitibus,  
querum numero; est Colonensis, praestari iussit largitionem recenset  
EGINHARTVS in vita ipsius cap. 33. edit. Schminck. p. 142.

tem A. 817. diserte agnouit *Leodiensis* Episcopus. a) *Ultraiectina* ecclesia metropoli Coloniensi usque ad seculum decimum sextum subsistit, quo demum sub **PAVLO PP. IV.** et **PIO IV.** A. 1559. et A. 1560. ab ea exenta, in archiepiscopatum electa est. b) Productum est ius metropoliticum Colonense ad novos episcopatus sub Carolo Magno institutos *Mindenensem*, *Monasteriensem* et *Osnabrugensem*: c) quorum intuitu superiori aeuo ea notissima mutatio contigit, ut *Mindenensis*, sub principatus titulo, Electori Brandenburgico in pace Westphalica concessus sit; d) in Episcopatu *Osnabrugensi* vero Archiepiscopo quidem Colonensi, ceu metropolitano, iura circa sacra inter Catholicos sicut reseruata, aduersus Augustanae Confessionis consortes vero plane sublata. e)

## C 3

## §. VIII.

- a) Vid. *historia translationis Hueberti Ep. Tungrensis in monast. Andagensem* in MART. POVQVETI Collect. Script. Gall. tom. VI. p. 310. *Leodiensis* ecclesia olim vocabatur *Tungrensis*, siquidem haec Tangri Traiectum ad Mosam, et inde Leodium translata est. Vid. GODEFR. HENSCHENII diatr. de episcopatu *Traiectensem* lib. 1. cap. I. et VI.
- b) Bullas exhibit **BULLARIVM M. Romanum** tom. X. p. 71. et 85.
- c) ALBERICVS in *Chronico* apud LEIBNITIVM p. 79. sub Carolo M. refert quinque episcopos suffraganeos, *Leodiensem*, *Ultraiectinum*, *Mindenensem*, *Monasteriensem*, *Osnabrugensem*. De his vid. ill. MASCOVII diss. de primat. metropol. et Episc. Germ. § 36. et seq.
- d) Instr. Pac. Osnabr. art. XI. §. IV.
- e) Instr. Pac. Osnabr. art. XIII. §. VIII.

## §. VIII.

*Iura honoris ac archiepiscopalia Archipraesulum  
Colonensem.*

Honore pallii mox distincti sunt antistites Colonenses, a) et inter eos sequiori aetate BRUNO, Ottonis M. frater, ea praerogativa singulari, ut pallio toties vteretur, quoties ex re esse existimaret. Refert RWTGERVS in vita Brunonis, b) ei ab Anacletu II. pallium et priuilegium apostolicae auctoritatis sublimitate traditum esse, quo et eodem pallio, praeter consuetudinem, sacerdos Dei, quoties vellet, indui permisus. Priuilegium hoc personale fuisse, ex eo intellegitur, quod concessiones Pontificum insequentes pallii usum iis legibus, quibus solet, restrinxerint, pallium largientes suo tempore suoque loco ferendum, prout Archiepiscopis Colonensibus a LEONE IX. EVGENIO III. ALEXANDRO III. concessum est. c)

Ab

a) Vid. LUDOVICVS THOMASSINVS de vet. et nou. eccl. discipl.

BRUNSVIC. II. lib. II. c. 56. §. 10.

b) Cap. XXIII. apud LEIBNITIVM Script. Brunsvic. tom. I. p. 281. Anno 955. hoc concessum esse, obseruat. PAGI in crit. ad Baronium tom. III. p. 860. quamquam rescriptum papale non extet.

c) LEONIS IX. bullam Hermanno 1052. concessam habet BVLARVM M. Romanum tom. IX. p. 1. (e) EVGENII III. et ALEXANDRI III. confirmationes Arnoldo et Philippo Archiepiscopis Colonensibus a. 1171. et a. 1172. factas exhibet LVNIG. in spicileg. eccl. rom. II. Fort. sec. I. p. 332. et 336.

Ab eisdem Pontificibus alia honorifica iura eisdem data sunt, ius *crucis anteferendae*, et *festiui equi* vissus. Nondum eo tempore omnibus metropolitani indultum promiscue erat ius *anteferendae crucis*, cum peculiaribus rescriptis eo donarentur. d) *Hermano*, Coloniensi Archiepiscopo, Leo IX. concessit e) *crucem et pallium suo loco suoque tempore ferendum insignem quoque festiui equi, quem naccum vocant Romani nostri.* In honore haberi solebat licentia *equitandi nacco per stationes f).* *Naccum vel naclum erat insigne equi festiui, pannus ruber seu stratum, quo totus equus in festiuitate cooperatus erat, g)* quo vti fas non erat sine speciali concessione. Eius ratio perspicitur ex rescripto Calixti II, quo Brunoni Archiepiscopo Treuirense a. 1120. h) permisit, *iumento purpura instrato per constitutas ecclesiae stationes vehi, et ante se crucem deferri.*

### §. IX.


d) Lud. Thomassinus loc. cit. p. I. lib. 2. c. 59. n. 7.

e) l. c. in *bullario M. rom.* IX. p. 1. (e) *Eadem concessio repetita est in confirmationibus Eugenii III. et Alexandri III. loc. cit.*

f) Ita appellatur in Concessione Benedicti PP. VII. Archiepiscopo Treuirense defuper facta a. 975. apud Vir. rev. IO. NIC. ab HONTHEIM in hisp. dipl. *Treuirense. tom. I. p. 312.*

g) vid. CAROLI DV FRESNE *Glossar. tom. III. p. 119. et tom. IV. p. 1134.*

h) vid. CHRISTOPH. BROWERI *annual. Treuirense. lib. XIII. tom. II. p. 16.*



## §. IX.

*Primatus Archiepiscoporum Colonensium.*

Dubitatum a nonnullis est, utrum inter Germaniae primates iure connumerentur Archiepiscopi Colonienses. a) Si primatis nomine venit, ut venire pro habitu istorum tempore solet, b) Archiepiscopus, simplices archiepiscopos dignitate antecedens, et nemini, nisi Pontifici, immediate subiectus, cui quamquam nulli alii archiepiscopi pareant, ipse tamen nulli alii, vel metropolitano vel primati, subiectus est: Colonensi Archipraesuli, non minori iure ac Moguntino, locus inter Germaniae primates est reliquendus. Praeter iura honorifica, §. ant.

EX-

a) Sententiam suam suspendit BERNH. a MALLINKROT de Archicancell. e. IV. p. 228. Conf. PHIL. EBERH. ZECH de orig. indole et iur. primat. Germ. c. II. §. 9. et ill. IO. IAC. MASCOVIVS de primat. metrop. et episc. Germ. §. 34.

b) Non de primatibus, in sensu eminenti acceptis, sermo est, qui plures regunt archiepiscopos, pluresque provincias ecclesiasticas, sed de primatibus posterioris generis, quos ex visu imperii Francie describit HINCMARVS Rhemensis in opusculo ad Hincmarum Laudensem cap. 17. tom. I. Oper. p. 441. canonum auctoritate afferens, eosdem metropolitano primates esse singularium provinciarum, qui ex antiqua conjectudine et apostolica traditione secundum Jacobinianos canones et consuocare synodos et ordinare episcopos et ordinari ab provincialibus episcopis sine CIVISQVM ALTERIVS PRIMATIS interrogatione possint et disponere regulariter quasque per suas provincias queunt. - - - Illi autem archiepiscopi vel metropolitani, qui haec sine de q. II. causula primatis non possunt exequi, archiepiscopi tantum vel metropolitani habentur.

ant. exposita, HERMANNO Coloniensi Archiepisco-  
po, Leo PP. IX. A. 1052. confirmavit, quod ante-  
riorum pontificum priuilegiis competierat, *ius pri-  
mae sedis post pontificem* vel eius *a latere legatum*, vbi  
Synodus infra ipsius prouinciae limites haberetur, nec  
non *ius inauguandi Imperatorem*, quod solet in ple-  
risque regnis penes primates esse, eamque *imme-  
diatatem*, qua primati nulli, sed *sedi pontificiae* proxi-  
me subesset Archiepiscopus. Verba priuilegii papa-  
lis sunt: *c) postea auctoritatem et honorem, quem eccl-  
esi haec tenus habuit, tam inter alios quam a suis, confirma-  
mus clypeo apostolicae protectionis, ut si quando synodus*  
*infra tuam dioecesin aut praesente huius primae sedis ar-  
chiepiscopo aut Legato, ab eius latere directo, fuerit aggre-  
gata, PRIOREM quidem locum POST IPSVM Rector eius*  
*obtineat, in proferenda canonum auctoritate prior existat.*  
- - - Regiam consecrationem infra limites dioecesos fa-  
ciendam potestatis apostolicae munimine ei corroboramus  
- - - ita sicut neminem co-Archiepiscoporum tibi subiici-  
amus, ita sub nullo primate te agi decreuimus, salua nobis  
in Te sicut in ceteris archiepiscopis, quae iure debentur  
apostolicae subiecctionis auctoritate. Itaque ex primae se-  
dis post Pontificem honore, quo haec tenus Archiepi-  
scopus Coloniensis distinctus fuerat, et ex agni-

ta

c) vid. BULLARIUM M. Rom. tom. IX. p. 1. f.) II.

D



ta a cuiuslibet Primatis iuribus *immunitate*, ea dignatione eminuit Praesul, quae efficit Primatis dignitatem. *Primatum* aperte eidem seculo XII. tribuit RUPERTVS, Coenobii Tuitiensis, ex regione Coloniae Agrippinae siti, abbas in *commentariis de diuinis officiis* c. 27. anno 1111. conscriptis, qui, *Primatum*, inquit, *Colonia metropolis obtinuit, ea maxime causa, quia Crescens praedictus Coloniae quoque apostolicam verbi Dei visitationem primus intulit.* Ceterum ista primatialis dignitatis praerogativa non demum nata est sec. XI. quo eandem a Leone PP. IX. recognitam esse vidi-  
mus, sed eius iam seculo X. idoneum extat argumen-  
tum. Ex quo sub Carolo M. in Germania secunda  
restaurata est metropolis Coloniensis, nullius Prima-  
tis auctoritatem agnouit, non minus ac *Mogun-  
tina* metropolis in Germania prima, et *Treuirensis* in prouincia Belgica. IOANNES PP. XIII. Pri-  
matum Adalberto Archiepiscopo Magdeburgensi A.  
968. largiturus, eadem *Moguntinae, Treuirensis, et  
Coloniensis* sedis iura esse agnouit, quibus donabat,  
*Magdeburgensem.* Ait: d) *Te tuosque successores et ec-  
clesiam tuam omnium ecclesiarum, archiepiscoporum et epi-  
scoporum, qui in Germania sunt ordinati, in sedendo,*

*litteris X. 19. certioriibus annuncio. ad in-*

d) Tabulas pontificis exhibet IO. PETR. DE LUDEWIG *de Primatu Germ.*  
*Magd. Arch. c. II. §. 7. tom. II. oper. Misc. p. 786. et LVNIG in spicile-  
gii. p. I. Euseb. Anh. p. 16.*


❧      ❧      ❧

in iudicando, in confermando, in subscribendo, in sententiis dandis, omniue ordine ecclesiastico Primatum habere volumus. Eorum vero, qui sunt in Gallia, item MOGVNCIACENSI, TREVIRENSI et COLONIENSI ecclesiae in omnibus parem honorem et similem vigorem praesentii priuilegio confirmamus. Quem Archiepiscopo Magdeburgensi inter simplices Germaniae archiepiscopos nunc demum conferebat, eum tribus istis archiepiscopis, in eisque nominatim Coloniensi, confirmat Primatus honorem, ne horum iuribus et dignitatibus nova primatus Magdeburgici institutione quidquam detraheretur. Tandem eadem honorifica primatialis dignitatis iura ecclesiae Coloniensi, prout priuilegio Leonis PP. IX. continentur, A. 1151. ab Eugenio PP. III. et A. 1179. ab Alexander PP. III. e) confirmata sunt. Vti vero iam olim primum post Pontificem locum in prouincia sua tuiti sunt Colonienses Archiepiscopi; ita deinceps vicaria Pontificis iura exercuerunt *Iure Legationis* Pontificiae, quae Arnoldo, Coloniensi Archiepiscopo ex priuilegio INNOCENTII PP. IV. f) obuenit, et deinde ad posteros continuata locum fecit dignitati

D 2. *Legati*

a) Bullas Pontificum exhibet LVNIG. l.c. P. I. Forf. p. 332. et 336.

f) quod exhibet LVNIG. in spicileg. eccl. Cont. I. p. 254. Inde CONRADVS, Colonienensis Archiepiscopus, in tabulis de a. 1250. apud Dn. DE GVDENVS in Cod. dipl. tom. III. p. 1116. primus se scribit *Apfel*iane sedis legatum.**



*Legati Nati Sedis apostolicae, qua hodienum exornantur Archiepiscopi Colonienses.*

§. X.

*Metropolis Coloniensis primatui Treuirensi numquam subiecta.*

Apparet exinde, quid tribuendum sit opinioni Viri Rev. NIC. AB HONTHEIM, a) primatus Treuirensis iura eo aeuo producta esse existimantis in archidioecesin Coloniensem. Non nisi Galliae Belgicae primatum Euerhardo Treuirensi Archiepiscopo a. 1049. tribuit LEO PP. IX, idem pontifex, qui quadriennio post A. 1052. HERMANNO, Archiepiscopo Coloniensi, ius primae sedis post pontificem in synodo provinciali nec non immunitatem ab omni cuiuslibet primatis iure confirmauerat. Qui fieri potuit, vt Treuirensis auctoritatem agnosceret Coloniensis, ipse in pari cum illo dignitate constitutus, nec vlli primati subiectus. Dabimus, quod vrget, vir doctus, Hildebrandum, Leonis IX. in Germania legatum, Eberhardo Treuirensi, primatus confirmationem petenti, omnibus viribus restitisse in ecclesiae Coloniensis favorem. Sed quae inde consecutio, ideo Treuirensi subiectam videri Coloniensem ecclesiam quod Hildebrandi contradicatio non impediuerit Primatus

con-

a) in historia Treuirensi diplomat. tom. I. p. 345. et p. 386. not. a

concessióne? Principio de quo speciatim tum atum grauiterque disputatum fuerit, non constat. De sola primatus Treuirensis, istis temporibus antiquioris, confirmatione vix oriri poterat contentio, facilius de *limitibus primatus* plus iusto producatis, quibus forte Colonensem prouinciam complecti cupiebat Treuirensis archiepiscopus. Deinde *non frustra* pro iuribus Coloniensis ecclesiae, aduersus conatus Praefulsi Treuirensis tuendis, laborasse Hildebrandum, non modo ex eo colligitur, quod istius studii, pro ecclesia Coloniensi interpositi, memoriam apud Aïnonem II. antistitem Colonensem A. 1074. renouauerit Hildebrandus, tum Pontifex <sup>b)</sup>, verum etiam ex tabulis Leonis PP. IX. pro Coloniensi A. 1052. datis manifesto appetet, quippe quibus confirmata est ecclesiae Coloniensis aduersus cuiuslibet Primatis praetensa iura auctoritas. Instat porro Vir Doctus, primatum Treuirensim per *Galliam Belgicam* constitutum esse, Galliae Belgicae partem vero constitueré archidioecesim Colonensem. Sed obseruandum, quod ipse agnoscit, *Galliam Belgicam* vel *generali significatu* denotare *vmuersam Belgicam* complectentem Belgicam primam et secundam, ac Germaniam primam et secundam, seu praeter Treuirensim.

<sup>b)</sup> Literas Gregorii VII. habet LVNIG in spicil. eccles. P. I. Fortf. p. 330.



uirensem et Remensem, Moguntinam et Colonensem metropoles, vel *strictim* acceptam designare illius partem, a Germania prima et secunda distinctam. Non nisi in *ultimo significatu* accipi potest Treuirensis per Galliam Belgicam primatus. Principio enim, quae de sede Treuirensi referuntur ad Galliam Belgicam, *strictim* acceptam, cuius *metropolis* Treuiris erat, proprio quadrant: maxime cum ista generalis Galliae Belgicae appellatio, Germaniam primam et secundam complectens seculo XI. vix persisterauerit, siquidem regno Lotharingiae, sec. X. cum Imperio Germanico vniuo, noua inualuit in Lotharingiam superiorem, quae Treuirensem Argentinensem Metensem Tullensem Virdunensem dioeceses, et Lotharingiam inferiorem, quae Colonensem Ultraiectinam Leodiensem aliasque dioeceses complectebatur. Postea inde a noua ecclesiarum sub CAROLO M. facta ordinatione ne ylliis quidem iuris primatialis a Treuirensi, in ecclesiam *Moguntinam* vel *Colonensem* exerciti, aliquot extat vestigium. Vtraque ecclesia, *Moguntina* et *Colonensis*, pari et eadem dignitate in Germania prima ac secunda eminuit, c) qua claruit Treuirensis in Belgica, *strictim* accepta. Denique rescripta papalia, Treuirensem Primatum concernentia, dignitatem Archiepiscopo Treuirensi tribuunt,

c) Eadem rationes militant pro *Moguntina Provincia*, Primatu Treuirensi non

❧ ❧ ❧

31

buunt, non auctoritatem in vllum Germaniae archi-  
episcopum. IOANNES PP. XIII. ius primae sedis ei  
post Pontificem in synodo cum aliis praerogatiis  
tribuit A. 969. Benedictus PP. VII. iura quaedam ho-  
norifica addit A. 975. d) Denique Leo PP. IX. iura  
primatus per Galliam Belgicam in tabulis supra ex-  
citatis confirmans, priuilegia Ioannis XIII. et Bene-  
dicti se confirmare dicit. In nullo horum priuile-  
giorum vel aliquis Germaniae Metropolitanus Tre-  
uirensi Archiepiscopo subiectus est.

### §. XI.

#### *De Archiepiscopis Colon. olim Cardinalibus ad titulum S. Ioannis ante portam latinam.*

Non praetermittenda sunt singularia quaedam  
ornamenta, quae continet bulla LEONIS PP. IX.  
antea excitata, a) videlicet honor *purpurae et archi-*  
*cancellarii*

non subiecta, quam subiectam esse censuit auctor histor. dipl. Treuirensis l. c. Rem conficit priuilegium BENEDICTI PP. VII. Willegiso anno 975. datum, quod primus publici iuris fecit Gener. Dn. DE GVDE. NVS in Codice diplomatico tom. I. p. 10. Seruata duxat priuilegiorum tuorum integritate, quo in toto Germania et Gallia post summum culmen pontificis in omnibus ecclesiasticis negotiis, id est, in rege confermando et synodo benunda ceteris omnibus tam Archiepiscopis quam et episcopis apostolica auctoritate, sicut insitum et rectum esse videtur, praemittas, vel forte, praemicas.

a) vid. utrumque priuilegium in hist. dipl. Treuir. tom. I. p. 305. et p. 312.

a) Bullae Leonis PP. IX. primam mentionem iniecit GELENIVS demagnitud.



cancellarii Sedis Apostolicae dignitas. Confirmamus quoque, inquit Pontifex, tibi per banc p<sup>re</sup>ceptionis nostrae paginam sanctae et apostolicae sedis Cancellat<sup>ur</sup>am, et ecclesiam Ioannis Euangelistae ante portam Latinam: ut te Petrus Cancellarium habeat, Ioannes hospitium p<sup>re</sup>beat. HERMANNO A. 1052. datum est hoc priuilegium totius gentis nobilissimo et reuerendissimo Archiepiscopo, prout eum Wibertus appellat: namque Pontificem in itinere, in Germaniam suscep<sup>t</sup>o, suis meritis eoque honore, quo eundem Coloniae humanissime excepit, sibi obnoxium reddiderat. Meminit eiusdem priuilegii WIBERTVS b); Suscipitur a totius gentis nobilissimo atque reuerendissimo Herimanno apud Coloniam, cuius petitu concessit Dn. Papa hoc priuilegium Sedi ecclesiae Coloniensis, ut ad altare S. Petri VII. presbyteri cardinales quotidie diuinum celebarent officium in Sandaliis. Dedit ei quoque officium Cancellarii S. Romanae sedis eiusque successoribus, tribuens

ili

Coloniae lib. III. syn<sup>t</sup>. I. §. 2. p. 225. ab eoque Pontifice binas bullas eiusdem argumenti alteram anno pontificatus sui primo a 1049. alteram anno Pontificatus quarto datas esse refert, sed neutram exhibuit. Posterioris fragmenta, secum a Gelenio communicata dedit MALLINCKROT de archicancell. P. II. c. 5. p. 235. Denique integrum bullam de a. 1052. Oper. hist. diplomat. inferuit AVB. MIRAEVS tom. II. p. 1131. ex eoque repetita est in BVLLARIO M. tom. IX. p. 1. f)

b) in vita Leonis IX. lib. 2. c. 4. quam tom. III. script. ver. Ital. inferuit LVD. ANT. MVRATORIUS p. 294.

illi ecclesiam S. Ioannis ante Portam latinam. Ecclesiam S. Ioannis eidem tribuens, quae est in numero titulorum cardinalitiorum c), eum purpurae honore distinxit. Obseruauit Aegidius Gelenius Archiepiscopum Colonensem d) factum esse perpetuum et velut hereditarium sedis apostolicae Cardinalem. Gelenium quoque in eo occupatum fuisse, auctor est Bernardus Mallinkrot, e) ut documentorum auctoritate ostenderet, hereditario quasi iure et perpetuo priuilegio, purpuram annexam fuisse archiepiscopali dignitati. Sed lucem non adspexit illud Gelenii opus, et nondum edita sunt, ex quibus haec causa satis instrui possit documenta.

### §. XII.


*De Archiepiscoporum Colonensium archicancellariatu  
apud sedem Apostolicam.*

Altera erat archicancellarii sedis Pontificiae dignitas,

c) Existimauit ONUPHRIUS PANVINIUS de Episcopat. et diaconis Cardinali, p. 21. titulum S. Ioannis demum a. 1517. erectum esse. Onuphrio Leonis IX. diploma ignoratum fuisse iam suspicatus est BERN MALLINCKROT de Archicanc. p. 281. Et constat omnino ecclesiam S. Joannis iam sec. XI. inter titulos Cardinalitios redactam fuisse, siquidem Christianus, qui sub nomine GREGORII VI. a. 1044. Pontifex factus est, Cardinalis fuit S. Joannis ante portam latinam. Vid. ANT. PAGI in Breuiar. gestor. Pontif. tom. I. p. 503. et CIACONIVM in Vita Pontif. et Card. tom. I. p. 781.

d) l. c. lib. III. Synt. 1. §. 2. p. 225.

e) l. c. in not. p. 281.



tas, quae tamen Coloniensibus Archiepiscopis non  
demum data est bulla LEONIS PP. IX. prout visum  
est BERNARDO MALLINCKROT, a) et Abbatii  
Gottwicensi, b) sed tantum *confirmata*. Ex iis, qui  
Hermannum antecesserunt archiepiscopi Colonienses,  
munere Cancellarii apud BENEDICTVM PP. VIII.  
functus est PILIGRIMVS, qui ab A. 1021. usque  
ad A. 1036, quo ei Hermannus successit, sedi Co-  
lonensi praefuit. c.) Subscriptis bullae Benedicti  
PP. VIII. de a. 1024. a) sub formula: *data VI. Id.*  
*febr. per manum Piligrimi, Coloniensis archiepiscopi & bi-*  
*bliothecarii S. Sedis apostolicae, qui vicem Benedicto com-*  
*misiit Episcopo. Bibliothecarius vocatur Pilgrimus, vo-*  
*ce in curia Romana recepta, Cancellarium deno-*  
*tante: solebant enim Cancellarii olim pontificiae bi-*  
*bliotheca curam simul subire. Deinde vices suas Bene-*  
*dicto commisso dicitur Pilgrimus. Solenne vide-*  
*licet erat Archiepiscopis Coloniensibus, ob *absen-**  
**tiam ab Urbe in officio exequendo impeditis, vel**  
*vices committere alteri, vel pati, ut Cancellarius*  
*constitutus vices eorum subiret; id quod sub honori-*  
*fica eorum compellatione et sub formula, vice ar-*  
chi-

a) in tr. de archicancell. c. V. p. 235.

b) in prodr. mo Chronici Gottwicensis tom. II. p. 272.

c) vid. LAMBERTVS Schaffnab. ad a. 1021. et ad a. 1036.

d) apud IO. FRID. SCHANNATVM in hist. Fulden. Coh. Prob. n. XLII.

chicancellarii et Archiepiscopi Coloniensis factum est. Perstitit in eodem officio Piligrimus sub IOANNE PP. XIX. quo Pontifice subscripsit binis bullis mense Ianuarii A. 1026. datis, apud MABILLO-NIVM<sup>e</sup>) et VGHELLVM<sup>f</sup>). Piligrimo in eodem munere successit HERMANNVS, antea laudatus. Plures ipsius subscriptiones, bullis Leonis PP. IX. sub singulis fere Pontificatus ipsius annis factae, euincunt continuatam sub ipso archicancellarii dignitatem<sup>g</sup>). Anno quarto Pontificatus Leonis, hoc est anno 1052 recognouit idem priulegium, quo ipsi Pontifex confirmauit Archicancellarii officium<sup>h</sup>): *Data nonis Maii per manus Friderici diaconi S. Romanae ecclesiae Bibliothecarii atque Cancellarii, vice Domini*

## HER-

<sup>e)</sup> in museo Italico tom. II. p. 157. vbi vice Peregrini, h. e. Piligrimi, Colonensis archiepiscopi bibliothecarii S. Apostolicae Sedis subscripsit Benedictus, cuā eundem vices commississime vidimus.

<sup>f)</sup> in Italia Sacra tom. I. edit. Coleti p. 97.

<sup>g)</sup> CIACONIVS in hist. Pontif. & Cardinal. tom. I. p. 806. ab anno Pontificatus Leonis secundo refert Fridericum Diaconum Cardinalem bibliothecarium et Cancellerium vices Hermanni archicancellarii et archiepiscopi Colonensis sustinuisse. Et in huic modum conceptae sunt subscriptiones Anno III. Pontificatus Leonis, hoc est, anno 1051. apud FERD. VGHELLVM in Ital. Sacra tom. I. p. 805. et tom. VII. p. 380. et in CORN. MARGARINI bullario Casinensi tom. II. p. 88. vbi anno IV. Pontificatus refertur subscriptio vice Hermanni archicancellarii VII. Id Mart. a. 1152. ideoque duobus mensibus ante facta, quam Hermano per bullam Leonis, nonis Maii a. 1152. datain, confirmata est archicancellarii dignitas.

<sup>h)</sup> apud AVB. MIRAEVM l. c. tom. II. p. 113.



HERMANNI, ARCHICANCELLARII et Coloniensis Archiepiscopi A. Dni millefimo quinquagesimo secundo Leonis PP. IV. indict. V. Ipsa subscriptio illustrat sententiam priuilegii, videlicet appellatione *cancellaturae*, quae occurrit in verbis priuilegii, §. ant. propositis, designari archicancellarii dignitatem: eamque hoc ipso tempore, quo eadem iam praeditus erat Hermannus, a Leone tantum *confirmatam* esse, prout et ipse in verbis priuilegii declarat i). Ceterum hanc dignitatem non personae Hermanni, sed omnibus archiepiscopis Coloniensibus datam, & ecclesiae Coloniensi annexam esse, idque priuilegium ideo non personale sed perpetuum fuisse, ex eo intellegitur, quod Leo maiorum suorum priuilegia ecclesiae Coloniensi data se confirmaturum declareret. Ait: *quia postulaisti a Romana sede confirmari priuilegia, quae ab antecessoribus nostris sunt tuae ecclesiae concessa: visum nobis fuit honestum, et ecclesiae necessarium, petitio- ni tuae consentire.* Mox addit: *confirmamus quoque tibi per hanc praeceptionis nostrae paginam Sanctae et Aposto- licae sedis Cancellaturam, videlicet dignitatem, qua ab ipsius maioribus donati erant Hermanni, archiepi-*  
*fco-*

i) Vid. §. ant. Post confirmatum honorem Hermannus subscriptus variis bul-  
 lis apud VGHELLVM l. c. tom. I. p. 450. et 1362. tom. V. p. 1217. tom.  
 VIII. p. 79. et apud Dn. de GVDENVS in Cod. dipl. tom. I. N. XI.  
 p. 20.

scopi, Antecessores. Inde Wibertus, Leonis coae-  
 uus, ipsius concessionis sententiam ita recenset, ut  
 datum illud priuilegium esse Hermanno *eiusque suc-  
 cessoribus* referat. Qui Hermanno in Archiepiscopatu-  
 tu successit, Anno archicancellariatu apud Victorem  
 PP. II. functus est, teste bulla pro ecclesia Fuldensi  
 a. 1057. data, nomine eius sic recognita, k) Datum  
*V. Id. febr. per manus Aribonis vice Annonis S. Roma-  
 nae et apostolicae sedis Archicancellarii et Colonensis Ar-  
 chiepiscopi.* Anno III. Papae Victoris II. Idem offi-  
 cium obiit apud Alexandrum PP. II. cuius bullae pro  
 ecclesia Fuldensi A. 1064. sic subscriptis l). Datum  
*per Manus Petri S. Rom. ecclesiae subdiaconi et Vice Do-  
 mini Annonis Colonensis Archiepiscopi, CANCELLARII  
 in Lateranensi Palatio. Bibliothecarius vocatur in sub-  
 scriptione bullae Alexandri PP. II. de a. 1071. m)*  
*Datum in castro Casino die Cal. Oct. per manus Petri S.  
 Rom. ecclesiae subdiaconi atque Vice Domini Annonis Colo-  
 niensis archiepiscopi et Bibliothecarii.* Ex quibus omni-  
 bus illud obseruamus, Bibliothecarii, Cancellarii, et ar-  
 chicancellarii titulos promiscue subinde usurpari,  
 quamquam archicancellarii titulus datus sit ut pluri-  
 um archiepiscopo Coloniensi, idque vel ob archie-  
 piscopale ipsius Cancellarii decus, vel quod imitati

E 3

sunt

k) apud SCHANNATVM in his, *Fuld. Cod. dipl. n. L. p. 166.*

l) ibid. n. LI. p. 167.

m) in MARGARINI *Bullario Casinensi tom. II. p. 103*



sint pontifices eminentem archicancellarii Sacri Romani imperii dignitatem, cui aequiparari coepit archicancellarii in Lateranensi Palatio dignitas. Efecit tandem Archiepiscoporum a curia Romana *absentia*, quod in subscriptionibus non temper servata sit illa solennitas, sed in iisdem praetermissa sit archicancellarii memoria: id quod ex eadem absentiae ratione iis ipsis temporibus subinde contigit, quibus passim in subscriptionibus archicancellarii et eius vicem gerentis cancellarii mentio iniicitur. Memoriam archicancellariatus seculo XII. renouauit Fridericus, Archiepiscopus Colonensis, Bullae Paschalis PP. II. pro ecclesia Bambergensi de A. 1111. ita subscribens: n) Datum Romae in insula Lycaonia per manum Ioannis S. Rom. ecclesiae Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii vice Domini Friderici Archicancellarii et Colonensis Archiepiscopi &c. Ceterum in perpetuam velut istius archicancellariatus memoriam illud inualuisse videtur, quod, qui in curia Romana officio Cancellarii defungebantur, deinceps Vicecancellarii dicerentur, velut vices gerentes archicancellarii Colonensis, in officii executione ob absentiam impediti. o) Quam coniecturam et illud adiuuat, quod Fridericum, Cancellarium, qui vice Hermanni Archi-

can-

n) apud ECCARDVM in corp. hist. tom. I. p. 234.

o) vid. SCHANNATI archiv. Euld. Vindicta. p. 33.

cancellarii et archiepiscopi Coloniensis bullas papales saepius recognouit, Vicecancellarium se primum a. 1053. subscripsisse obseruet IOANNES CIAM-PINVS p).

§. Xlll.

*Archicancellariatus Italiae Archiepiscopis Coloniensibus nondum delatus sub Ottone M.*

Tot ornamentis ecclesiasticis distincti archiepiscopi Colonienses, non minus negotiis imperii procurandis expediendisque admoti, amplissimam dignitatem Sacri Romani Imperii archicancellarii per Italiam sedi suae perpetuam acquisuerunt. Huius origines exponentes, illud non praetermittimus, eo tempore, quo nondum certae sedi affixa sed ambulatoria erat dignitas archicancellarii per Germaniam, eodem subinde amplissimo munere functos esse Antistites Colonienses. Carolingorum Imperatorum aulas non lustrabimus, subsistentes in Ottonis M. aetate, qua archicancellariatus Italiae origines non nulli sibi deprehendisse videntur, nos archicancellariatu per Germaniam functos esse Archiepiscopos Colonienses contendimus. Ex quo Italiae regnum iunctum est Imperio Germanico, morem vetustum ad-

p) in tr. de Romanoe ecclesiae vicecancellario illiusque manere auctorit. et potest cap. 1. p. 24. 25. ed. Romae 1697.



adhuc seruauit Otto I. vt scriniis Italiae *episcopos Italiae* praeficeret archicancellarios curam negotiorum Italiae ibidem expediendorum subituros, praesertim vbi praefens erat Imperator. *Germaniae* scriniis praecerat S.R. I. archicancellarius, in iisque expediebantur omnia, quaecunque non modo Germaniae sed et Italiae res concernebant; a) idemque eo tempore pro imperatorum arbitratu observatum est, siue intra Germaniae fines subsisterent Germanica scrinia, siue in Italiā, imperatore vna cum archicancellario iter illuc suscipiente, transferrentur. b) Sub Ottonē M. plures archiepiscopi eodem tempore Cancellis augustalibus praefuerunt, in iisque B R V N O, Imperatoris frater, Coloniensis archiepiscopus. Ad sedem archiepiscopalem a. 953. admotus per omne tempus vsque ad obitum, qui a. 965. contigit, archicancellarii munere functus est in expediendis *imperii Germanici* negotiis, testantibustot diplomatum,

ad

a) BERN. MALLINCKROT de archicancellar. p. 39. *Prodromus Chronicorum Gotwicensis* tom. I. p. 185. Ita Veronae in *Germaniae* scriniis expeditum est diploma pro Corbeiensibus a. 983. Willigiso, Meguntino Archiepiscopo illud recognoscente, apud SCHATENIVM in Annal. Paderb. lib. IV. p. 325.

b) Multa res Magdeburgicas spectantia diplomata a Brunone recognita exhibet SAGITTARIUS in antiquit. Magdeb. §. 72. et seq. Conf. Praefatis programma, huic dissertationi annexum.

ad res Germanicas pertinentium, subscriptionibus.<sup>c)</sup>  
 Itaque non fuit regni Italiae sed imperii Germanici archicancellarius: siquidem et tum Widonem Episcopum archicancellariatu in Italia functum esse constat. Quae cum ita sint, concidit SIGONII<sup>d)</sup> et qui eum sequuntur opinio, qui Brunonem archicancellarium regni Italiae habent, et ab eo huius dignitatis origines repetunt.

#### §. XIV.

*Origines archicancellariatus Italiae sub Piligrimo Archiepiscopo et eius successoribus.*

Quaemadmodum archicancellariatus Germaniae sedi Moguntinae ab initio non lege quadam, sed *confuetudine Imperii*, adscriptus est, cum inde ab exitu seculi X. hoc archiofficium obierint Archiepiscopi Moguntini: ita perinde se res habuit in *archicancellariatu Regni Italici*, archiepiscopis Colonensi- bus ipsa velut successione, et inde *enata imperii confuetudine* inde a primitiis seculi XI. acquisito. Illud vero ex ipsa Colonensium antistitum, eodem amplissimo munere defungentium, successione perspi- ce-

c) vid. MALLINCKROT l. c. p. 40.

d) de regno Italiae lib. VII. p. 176. et V. C. IO. FRID. IOACHIM de ar- chicancell. Archiepiscopi Coloni, per Ital. §. V.



cere inuabit. Qui post Brunonem sub Ottonibus et sub Henrico II. sedi Coloniensi praefuerunt *Volumarus, Gero, Warinus, Evererus, Heribertus*, archiepiscopi Colonienses, hos illud archiofficium vel in Germania vel in Italia obiisse, nullo idoneo argumento constat. Scriniis Italiciis tum adhuc praerant *Italiae episcopi*. Sub **HENRICO** Imp. II. inuauit, vt eisdem praeficerentur *Germaniae episcopi*, quos inter primum deprehendimus, qui imperatori in deliciis erat, **EBERHARDVM**, *Bambergensem Episcopum* a). Hunc eo munere adhuc A. 1023. funetum esse, docet diploma Henrici II. pro monasterio Casinensi, quod *Theodoricus cancellarius vice EBERHARDI episcopi et Archicancellarii notauit*. b) Sed deinceps Im-

a) De eius archicancellariatu luculenter egit IO. MABILLON *Annal. Benedict.* dist. tom. IV. lib. 53. n. 67. p. 234.

b) apud ERASMVUM GATTOLA in *accessionibus ad hist. Casinensis*. P. I. p. 121.  
Quam vitiose subinde apud Italos in ipsis scriniis a notariis expressa sunt Germanorum nomina, *Eberhardi Bambergensis* exemplo docemur, eniū nomen in subscriptione diplomatis de a. 1022. ibid. p. 120. ita corrupte effertur: *Theodoricus cancellarius vice Ebbonis Papendegressis Episcopi et archicancellarii recognoui*. Idem Eberhardus in *VGHELLI Ital. sacra* tom. VIII. p. 76. *Erbardus Papaebregiensis episcopus* in subscriptione a Notario corrupte scriptus est. Est et aliud diploma Henrici II. pro monasterio Fructuariensi in *SAM. GVICHENON* bibl. Sebusiana apud HOFFMANNVM in *docum. inedit. tom. I. cent. II. n. 78. p. 306.* ubi Hugo Cancellarius vice *Heribardi* recognouit, qui non alias est quam Eberhardus Bambergensis.

Imperatores archicancellariatus per Italianam eamdem, ac per Germaniam, auctoritatem et dignitatem esse cupientes, eundem demandarunt Germaniae Archiepiscopis. Primus est PILIGRIMVS, archiepiscopus Coloniensis, quem Cancellis Italiae praefuisse, diplomata CONRADI Imp. II. de A. 1031. 1033. 1035. et 1036. ipsius, ceu archicancellarii, vice recognita, testantur c). Cum Piligrimus iam A. 1026. archicancellarii officium apud Sedem Romanam obierit: ceu supra §. XII. ostendimus: de eo verisimili ratione obseruare licet illud, quod de eius successore Hermanno obseruauit GVNDLINGIVS, d) videlicet dignitatem archicancellarii Sedis Romanae Piligrimo suppeditasse occasionem, qua sibi S. R. I. archicancellariatum per Italianam apud CONRADVM Salicum comparauerit. Idem archiofficium apud eundem imperatorem obiit Piligrimi in sede Coloniensi successor, HERMANNVS, eodemque per omne vitae tempus etiam apud HENRICVM Imp. III. functus est. Extant diplomata CONRADI II. pro ecclesia Mantuana de a. 1037. e) eiusdem consti-

F 2 tu-

c) Vid. diplom. Conradi II. pro ecclesia Bellunensi de a. 1031. apud VGHELLVM Ital. Sacr. tom. V. p. 149. eiusdem diploma de a. 1033. pro monasterio Ticinensi apud LVD. ANT. MYRATORIVM antiquit. Italic. tom. I. p. 596. et bina diplomata pro ecclesia Parmensi de a. 1035. et 1036. apud VGHELLVM loc. cit. tom. II. p. 165. et 166.

d) in Gundlingianis P. XVII. obs. 2. p. 278.

e) apud MYRATORIVM antiquitas. Italic. tom. I. p. 611.



*tutio de feudis de eodem anno, f)* eiusdem diploma pro ecclesia Taurinensi de A. 1038. *g)* et pro Episcopis *Mutinensibus* de eodem anno, *h)* nec non diploma et *Henrici Imp. III.* pro monasterio *Casmeni* de A. 1045. 1048. et 1055. *i)* nec non pro ecclesia Veronensi de A. 1047. et 1055. *l)* vice Hermanni archicancellarii recognita. A. 1056. successorem in archiepiscopali dignitate habuit *Annonem, m)*, eundemque in archicancellariatu, praesulem satis celebrem

*f)* ibid. l. c. p. 610.

*g)* in SAM. GVICHENON bibl. Sebus apud Hoffmannum l. c. tom. I. cent. I. n. 93. p. 170.

*h)* apud MVRA FORIVM l. c. p. 446.

*i)* in CORNEL. MARGARINI bullario *Casmeni* tom. II. N. LXXXIX. p. 81. N. XC. p. 96. N. XCI. p. 97.

*l)* apud VGHELLVM l. c. tom. V. p. 757. et 764. Conf. priuilegium HENRICI III. Canonicis ecclesiae Patauinae a. 1047. concessum apud MVRATORIVM loc. cit. p. 1002.


*m)* Obitus Hermanni ad III. Id. febr. a. 1055. non recte refertur in SAM. MARTHANI Gallia Chriſt. tom. III. p. 660. Namque aliud docent excitata diplomata mense Aprilis et Novembr. a. 1055. ab eodem adhuc recognita apud Margarinum p. 97. et Vghellum p. 764. et aliud diploma Henrici II. de d. XIV. Kal. Mai. 1055. vice Hermanni archicancellarii recognitum in Guichenon bibl. Sebus. Cent. II. n. LXXIV. p. 301. Ait auctor viae Matildis apud Leibnitianum script. Brunv. tom. I. p. 322. Anno dominice incarnationis millesimo quinquagesimo sexto defuncto pio archipresule Hermanno, successit ei in episcopatu vir venerabilis Anno, qui quamquam sanctae religionis approbatus cultor fuisset, interdum tamen propriis plius arbitrarius, quam iustitiae cultus tenax.

brem ob regni Germanici rerumque gerendarum administrationem ipsi sub Henrico IV., impubere adhuc, commendatam. Eumdem, non minus ac ipsius antecessorem Hermannum, inter sedis Pontificiae archicancellarios vidimus. Henricus Imp. IV. ipsum archicancellarium appellat in diplomate pro monasterio Fructuariensi de a. 1070. *n)* quod se dedisse profitetur per interuentum püssimae matris *Agnetis Auguſtæ imperatricis et Annonis, Coloniensis Archiepiscopi et Archicancellarii.* Scriniis Italiae vero eum praefuisse patet ex diplomate Henrici IV. pro eodem monasterio, *o)* et alio de a. 1073. pro monasterio Florentiae sito, *p)* cuius subscriptio est: *Ego Gre-*

*n)* in GUICHENON. *libl. Sebus.* apud Hoffmannum l. c. cent. I. n. LXXIV, p. 136.

*o)* *ibid. cent. II. n. LXXVI.* p. 304. Sub primitiis archiepiscopatus ipsius *A.* 1058. occurrit diploma HENRICI IV. pro ecclesia Cremonensi apud VGHELLUM l. c. tom. IV. p. 597. vice HANNONIS archicancellarii re cognitum, quem non alium quam ANNONEM Archiepiscopum Coloniensem esse, facile intelligitur.

*p)* in MARGARINI *Bullar. Casin.* tom. II. n. CXI. p. 106. Singularis est subscriptio in priuilegio Conradi Salici pro monasterio Fructuariensi, apud GVICHENONIVM l. c. N. LXXV. p. 302. *Hugo cancellarius vice Domini Annonis, Archi in Italia cancellarii recognos.* A more eius aeni recedit, dignitatibus archicancellarii apponere titulum *Italise.* Ipsa charta, quae sine die et consule est, ideo pro suppositis habendis quod Anno archicancellariatu apud Conradum II. defungi non potueri, Conrado iam a. 1039. defuncto et Annone a. 1056. ad archiepiscopatum eiuscet.



*Gregorius Vercellensis episcopus et cancellarius vice Domini Annonis Archicancellarii, Coloniensis Archiepiscopi, recognoui. Hildolfus, proximus annonis successor, quamquam non longaeus, cum per tres tantum annos ab A. 1076. sedi Coloniensi praefuerit, archicancellariatu tamen Italiae sub Henrico IV. functus est; quod auctori *Prodromi Chronici Gotwicensis* aliisque non obseruatum esse deprehendimus. Superest diploma Henrici IV. pro monasterio Papiensi de a. 1077. q) *Gregorius Vercellensis episcopus Cancellarius vice Domini Hildolfi Coloniensis archiepiscopi et Archicancellarii recognouit.* Memoriam archicancellariatus Sigewini, qui Hildolfo a. 1078. successit, qq) seruat diploma Henrici IV. pro monasterio Brixiensi de a. 1085. r) cuius subscriptio est: *Burchardus Cancellarius vice Siguini recognouit;* et aliud diploma eiusdem Imperatoris pro ciuitate Pisana de a. 1081. ab eodem Burchardo, Monasteriensi Episcopo, *vice Sigerini archicancellarii recognitum.* s) Hic non alias est, quam *Sigewinus*, vitiosa scriptura *Sigerinus* dictus, cuius nomen curatius exprimitur in diplomate Henrici*

q) in Margarini bullario Casinensi tom. II. N. CXIV. p. 112.

qq) *Annalist a Saxo Eccardinus* ad a. 1078. p. 544. *supra dicto anno Hildolfus Coloniensis archiepiscopus obiit, cui Sigewinus successor.*

r) apud Margarinum l. c. n. CXVII. p. 113.

s) in Vigelli Ital. sacr. tom. III. p. 366.

rici IV. pro monasterio Veronensi de a. 1084 .a Si-  
gewino recognito. <sup>i)</sup> Archiepiscopatum Coloni-  
ensem gessit vsque ad A. 1089. quo successorem  
non minus in dignitate archiepiscopali quam in ar-  
chicancellariatu nactus est *Hermannum II.* <sup>ii)</sup> De huius  
archicancellariatu testatur diploma *Henrici IV.* pro  
monasterio S. Felicis in Vicentino territorio de a.  
1091. <sup>x)</sup> quod Ogerius Dei gratia Hyporegiensis  
Episcopus et Cancellarius vice Herimanni archican-  
cellarii recognouit. Itaque sub *Henrico IV.* Impe-  
ratore quatuor archiepiscopos Colonenses, Anno-  
nem, Hildolfum, Sigevinum, et Hermannum,  
prout in dignitate archiepiscopali successerunt, ar-  
chicancellariatum Regni Italiae administrasse intel-  
leximus.

### §. XV.

#### *De continuato archicancellariatu sub successoribus in sede Coloniensi.*

Pergimus in recensendis archiepiscopis Colonien-  
bus, *Italiae archicancellariis.* *Friderici Archie-*  
*pi-*

<sup>i)</sup> in *Muratorii tom. I. antiquis Ital.* p. 740.

<sup>ii)</sup> *Chronicon S. Pantaleonis apud Eocardum tom. I.* p. 908: *Anno Domini  
1089. Sigerinus Colonensis archiepiscopus obiit et successor Hermannus, se-  
gumento diues.*

<sup>x)</sup> apud *Margarinum l. c. N. CXX.* p. 116.



scopi, qui Hermanno a. 1099. defuncto, per XXX. annos et ultra sedet, rarer est in diplomatum recognitionibus mentio. Nec tamen alium cancellis Italiae praefuisse constat; quin potius momentoso instrumento, quo HENRICVS V. ius inuestituae a. 1122. dimisit, tum ut testis subscriptis, tum illud ipse recognouit. Subscriptio est. a)  
*Haec omnia acta sunt consilio et assensu principum, quorum nomina subscripta sunt, Adalbertus Moguntinus Archiepiscopus, FRIDERICVS Coloniensis Archiepiscopus, Ego FRIDERICVS Coloniensis episcopus et Cancellarius recognoui.* Simplici Cancellarii perinde ac simplici Coloniensis episcopi titulo modestiae causa vtitur, b) ipse illud documentum recognoscens, alio, vice ipsius subscripturo, non adhibito. De ipsius archicancellariatu Italico eo minus dubitari potest, quod ipso a. 1031. defuncto, et sede Coloniensi per aliquot tempus impedita ob scissa in nouiantistitis electione inter Brunonem et Godefridum suffragia c), Norbertus, Magdeburgensis archiepiscopus, Vicarii archicancellarii partibus in expeditione Lotharii Imp. in Italia funetus

a) apud BARONIVM *Annal. Eccl.* tom. XII. p. 158.

b) Nulla ergo inde, ratione archicancellariatus Italici, dubitatio nasci potest, quam mouet Praeful Gotwicensis in *Prodromo Chronicorum* I. p. 322.

c) vid. SAMMAR THAN. *Gallia Christiana* tom. III. p. 673.

Etus sit, quas ad Coloniensem archiepiscopum pertinere agnatum est. Ita Chronographus Saxo ad. a. 1132. d.) Lotharius, inquit, Longohardorum fines intravit et quia Archiepiscopus Coloniensis defuit, qui iure deberet esse Cancellarius in illis partibus, Norbertus Archiepiscopus Magadaburgensis huic officio deputatus est. Vicarium illud Norberti archiofficium vix ultra annum durauit Bruno enim in archiepiscopatu confirmatus, a. 1033. comes itineris Lotharii in Italiam factus, ipse eodem usque ad obitum suum functus est, testantibus diplomaticis Lotharii II. ipsius ceu archicancellarii nomine recognitis e.). Sed Brunonem, a. 1037. cum Lothario Imp. Italiam iterum profectum, ibidem circa festum Pentecostes obiisse, in eiusque locum electum esse Hugonem, itinere non minus in Italiā suscepto, post duos menses II. Kal. Iul. defunctum

a) apud LEIBNITIVM in accoff. hist. p. 289.

b) Vid. Privilegium LOTHARII pro ecclesia S. Vincentii in Bergomensi Episcopatu de a. 1033. in VGHELLI Ital. Sacr. tom. IV. p. 453. et pro Ecclesia Cremonensi ibid. p. 602. diploma LOTHARII de a. 1036. pro Canonicis S. Mariae Regiensis ad vicem Cancellarii Brunonis Colonensis Archiepiscopi recognitum ibid. tom. II. p. 288. et aliud pro coenobio Brixiensi de eodem anno, Vice Brunonis Archicancellarii et Colonensis Archiepiscopi recognitum, in MARGARINI Bullar. Cajin. tom. II. p. 150. Ex quo simul intelligitur, Cancellarii et archicancellarii titulum subinde rursum esse promiscue.



Etum referunt Annales, f) idque addunt, Imperatorem Lotharium in expeditione Italica adhuc occupatum, Ratisbonensem Episcopum pro Coloniensi Archiepiscopo, Hugone videlicet, Cancellarium instituisse. g) Praefuit ergo et Hugo Italiae cancellis, quamquam non nisi per duos menses archiepiscopatu Coloniensi functus, effecitque praesulnis obitus, ut alteri demandanda esset scriniorum Italiae cura, qui fuit Henricus, Episcopus Ratisbonensis, h) cui etiam Germanici archicancellariatus spartam, per obitum

f) Chronographus Saxo Leibnit. ad a. 1137. p. 294. Annalista Saxo-Eccardinus ad eundem A. p. 676.

g) Annalista Saxo l. c. p. 678. Hugo Coloniensis Archiepiscopus sanguinem sibi minui faciens, quarto die, id est, secundo Kal. Iul. obiit. Imperator autem . . . Potentiam petuit, ubi Ratisponensem Episcopum, pro COLONIENSI ARCHIEPISCOPO, Cancellarium instituit.

h) Supersunt quedam diplomata ab Henrico, seu archicancellario recognita, quorum pertinet diploma Lotharii Imp. aureis characteribus exaratum bullaque aurea insignitum pro Monasterio Stabulensi apud EDM. MARENTE tom. II. Collect. ampliss. p. 98. ibi: Ego Ethardus vice Heinrici Ratisbonensis Episcopi et archicancellarii recognoui. Alium adhuc eodem tempore Archicancellarium apud Lunigium tom. III. Spicil. eccl. p. 790. memorari, Vderipum nomine, Vuluensem, de eoque se nihil indagare posse reseit Auctor Prodromi Chr. Gotsv. p. 337. Sed Vderipi Vuluensis nomen corrupte et vitiouse vel a notario Italo, Germanicorum nominum ignaro, vel quod magis placet, vitiouse descriptum esse, cum et in annos regni errores irreplerint, res ipsa loquitur. Certe Vderipus ille non aius est, quam Henricus, eoque nomine diplomaticis

bitum Adalberti Archiepiscopi Moguntini vacan-  
tem, demandatam esse obseruat *praeful Gotwicensis i.*


§. XVI.

*Sub Friderico I. archicancellariatu additus titulus Ita-  
liae.*

Itaque inde a PILIGRIMI aetate, *nouem* antisti-  
tum, in sede Coloniensi se inuicem excipientium,  
exemplis apparet, ordine velut successorio delatum  
illis per seculum esse archicancellariatus Italici offici-  
um; quamquam res Italicae tum *praesertim*, vbi Impe-  
ratores in Germania commorabantur, in Cancellis  
Germaniae expeditae sint a Moguntino. Post Hu-  
gonis fata *praesulem* nacta est ecclesia Coloniensis  
*Arnoldum* virum ad omnia secularia et ecclesiastica  
negotia inutilem, prout eum depingit *Otto Fries-  
gensis lib. I. c. 62.* Per annos XVI. quibus sedit,  
quieuit archiofficium, et fere clausa fuerunt Italiae  
scrinia, siquidem Conradus Imp. III., sub quo vi-

G 2 xit,

maria Lunigiani, prout illud primus exhibet MARTENE I. c. p. 96. sub-  
scriptio corrupta: *Ego Ebenurdus vice Vderpi Vrulensis recognoui*, ita re-  
situenda est: *Ego Ekehardus vice Henrici Ratisbonensis recognoui*.  
Quem nominamus Ekehardum Cancellarium, non minus vito*e* Ebe-  
nurdus vel alibi *Eberhardus*, *Ereburtus*, *Erialdus* scribitur, quem scriptio-  
nis errorum non animaduertit *Auctor Chron Gorw. p. 340. et 341. dum*  
*cos*, velut singulos, in numerum Italicorum Cancellariorum zetralit.  
e) in *Prodromo Chron Gorwic. tom I. p. 337.*



xit, Italiam nunquam ingressus est: neque etiam vllum alium Italiae cancellis praefuisse legimus, rebus Italicis in Cancellaria Germanica expeditis. a) Nec quidquam obfuit istius temporis intercapedo iuri ecclesiae Coloniensis. Namque *Arnoldus II.* Cancellarii officio haetenus in Germaniae scriniis functus ad sacerdotium Coloniense, a 1151. uectus, iure ecclesiae suae exercuit Italiae archicancellariatum, et primus vsus est titulo archicancellarii *Italiae*. Friderico Imp. I. 1154. in Italia agenti, comes adhaesit, in expediendis Italiae negotiis occupatus. b) Extat diploma Imperatoris pro Theobaldo Veronensi Episcopo datum in Campo, qui vocatur Calegnus X. Kal. Dec. 1154. c) quod *Arnoldus Colonensis Archiepiscopus et Italici Regni archicancellarius* recognovit. Hoc titulo eundem Arnoldum exornat Fridericus I. in diplomate de a. 1155. d) quod, prout eius

ver-

a) Exemplum est diplomatic ab Henrico Archiepiscopo Moguntino Norimbergae a. 1150. recogniti in VGHELLI Ital. sacr. I. p. 453. quo Conradus Imp. III. Presbyterum, Asculanae ecclesiae episcopum, in Germaniam profectum de regalibus inuestit. Aliud exemplum est apud VGHELLUM tom. IV. p. 362.

b) Prima expeditio Friderici in Italiam rectius, ad a. 1154. refertur auctore CONRADO Urspergenii in Chron. p. 292. idque confirmat diploma Friderici eo anno in Italia datum.

c) in VGHELLI Ital. sacr. tom. I. p. 796.

d) apud MARGARINVM in bull. Casir. tom. II, N. CLXXVIII. p. 176.

verba sunt, interuentu *Carissimi nostri Arnoldi Colonensis Archiepiscopi Italici Regni archicancellarii pro monasterio Placentino datum est.* Arnoldus a. 1057. natus est successorem *Fridericum*, cuius memoriam in diplomatum inscriptionibus non occurrere notat *Praeful Gotwicensis.* e) Sed contigit archicancellarius Italici, ab hoc Archiepiscopo gesti, memoriam instaurare ex priuilegio Friderici I. Episcopis Vicentinis a. 1158, dato, f), quod *Fridericus Colon. Archiepiscopus Archicancellarius recognouit.* Datum est hoc diploma in altera Friderici Barbarosae in Italiam suscepta expeditione, cui inter tot alios Praefules principesque Imperii interfuit *Fridericus, Coloniensis.* Functiones archicancellariatus, in ista expeditione morte eius a. 1059. interruptas, mox continuauit *RAINALDVS*, ipsius in dignitate Archiepiscopali successor, itinere in Italiam mox inde a electione sua in Italiam suscepto. g) *Fridericus I. in sententia, in lite inter Lipscopos Germaniae Bambergensem et Heripolensem a. 1160. Papiae latata,* h) *Rainaldum ob depositum Cancellarii, quod haec tenus obierat, munus vocat Excancellarium, iam*

Ar-

e) in *Prodr. Chr. Gorw. tom. I.* p. 377.f) apud *VGHELLVM l. c. tom. V.* p. 1044.g) *RADEVICVS de gestis Friderici I. l. 2. c. 14. Chron. S. Pantaleonis ad a. 1139.*apud *ECCARDVM tom. I. corp. hist.* p. 938. 939.h) apud *LVNIG. scicleg. ecclesiast. tom. II. N. 26.* p. 26.



*Archicancellarium in Italia et adhuc Colonensis ecclesiae electum.* Eidem documento ita subscripsit Rainaldus: *Ego Rainaldus Colonensis ecclesiae electus et Italiae archicancellarius recognoui.* Ex quo illud intelligitur, *I.)* hoc archiofficium iam ipsam ecclesiam Colonensem affecisse, cuius iure illud mox exercuit electus archiepiscopus, nec non *II.)* etiam in rebus Germaniae in Italia actis diplomata subinde in scriniis Italiae expedita esse, vti id vicissim contigit in negotiis Italiae in Germania actis. A quo tempore Archiepiscopi Colonenses frequentes vsi sunt honorifica appellatione S. R. I. archicancellarii per Italiam vel Italici Regni, vti Praesules Moguntini archicancellariatu suo pariter titulum Germaniae apposuerunt, *i)* vterque ad fines archicancellariatus eo clarius et euidentius ipso titulo exprimendos, quamquam diu vtriusque archiofficii separatae fuerint rationes. Ipsum Rainaldum in propriis epistolis suis titulum Archicancellarii per Italiam adhibuisse, probauit Praesul Gotwicensis, *l)* idque deinceps a successoribus ipsius

*6) Quod factum circa idem tempus, a quo illud in ARNOLDO Colonensi vi diplomatis de a. 1154. obseruantum, seu pater ex diplomatico FRIDERICI I. de a. 1153. pro Monasterio EMMERAMENSI, cui Conradus Maguntiensis sedis Archiepiscopus et Germaniae archicancellarius recognouit apud GEWOLDVM ad Hundis Metrop. Salisb. tom. II. p. 262.*

*l) in Prodr. Gbren. Gotw. tom. I. p. 378.*

ipsius seculo praesertim XIII. saepius factum est; m)  
et prius, ut videtur, quam praefules Moguntini ti-  
tulo Archicancellarii per Germaniam in *proprietate* do-  
cumentis vñ sunt: eius enim primum exemplum a.  
1239. se obseruasse refert Generosissimus Dn. de Gu-  
denus n), qui et deinde antiquius dea. 1237. exhibuit o)  
Quae cum ita sint manifesto intelligitur, non demum  
a tempore Friderici I. ceu existimarunt MALLIN-  
CKROTIUS p) et LVDEWIGIVS, q) archicancel-  
lari-

m) Conf. tabulae CONRADI Archiepiscopi Coloriensis et Italiae archicancella-  
rii, de a. 1242. apud Dn. de GUDENVS in *Cod. diplom.* tom. I. p. 570.  
et de a. 1248. in tom. II. p. 944. vbi *sacri Romani Imperii per Italiam*  
*Archicancellariorum* se scribit. Plura dat LVNIGIVS in *spicil. eccl. P. II.*  
*Fortsz. I. Vol. XVI.* p. 143. et seq. p. 360. et seq. p. 392. et seq.

n) in *cod. dipl.* tom. I. p. 550. vbi *Sigfridus Moguntinus antistes a. 1239.* se  
scribit *sacri imperii per Germaniam archicancellarium.*

o) Est instrumentum eiusdem Sigfridi de a. 1237. in tom. II. *Cod. dipl.* p. 73;  
p) de *archicancellarii P. I. membr.* 2. p. 43.

q) IO. PETR. DE LVDEWIG in *Comment. ad Aur. Bullam* tom. II. p. 591.  
existimat, primum Arnoldum perpetuum archicancellarium sub Frideri-  
co I. Imp. constitutum esse, maxime quod is primus fuerit, qui subscri-  
ptionibus suis, adiecerit titulum *Italiae*. Sed id argumentum non mi-  
nus probat id eo demum tempore sedi Coloniensi affixum esse archiepiscopie  
cum, quam id quidquam probaret in *archicancellariatu Germaniae Mo-*  
*guntinis ab eo demum tempore tribuendo;* cum et hi eadē aetate ad-  
hibere coeperint titulum *Archicancellarii per Germaniam.* Quos Frideri-  
ci I. aeuo nominatos legimus, ipsis rerum argumentis cognomitus *Ita-*  
*liae archicancellarios Colonienses archiepiscopos,* negotiorum in scrinias  
*Italicis expeditorum curam et supremam inspectionem iudea Piligrimi*  
*aetate usque ad Arnoldum exercentes.*



lariatus Italiae origines repetendas esse, sed ipsa Imperii obseruantia, a Piligrimi Archiepiscopi Coloniensis et Henrici III. aetate deducta, sedi Coloniensi per seculi decursum et amplius iam tributam illam dignitatem, eique non multo post comparatam esse, quo Moguntino perpetuo conferri coepit archicancellariatus per Germaniam, quod post Wilhelnum Archiepiscopum, Ottonis M. filium, contigit, contra vero eam duobus seculis et amplius antiquorem esse archiofficio Archiepiscorum Treuirensium, quibus demum circa finem seculi Xlll. obuenit archicancellariatus per Galiam et Regnum Arelatense r).

### §. XVII.

#### *Archicancellariatus Italiae continuatus usque ad A. B.*

Supersedemus fere vterius progredi in recentendis monumentis, quae illud archiofficium velut hereditarium et perpetuum penes sedem Colonensem inde porro a Friderici aetate vsque ad Caroli IV. aevum fuisse euincunt, sub quo videlicet agnatum firmatumque est in *Aurea Bulla ex seruata haecenus impe-*

e) Conf. IO. NIC. AB HONTHEIM histor. diplomar. Trevirens. sec. I. p.

Imperii obseruantia. Id quidem ex diplomatibus sec. XII. et XIII. in scriniis Italicis subscriptis, nec non ex titulis, quibus ipsi Archiepiscopi in publicis documentis honorem Italici archicancellariatus praese ferunt, testatissimum est. Sub FRIDERICO I. praeter Arnoldum, et Rainaldum, Philippus, a) idemque Archipraeful Philippus, b) eiusque in sede Coloniensi successor, Adolphus c) sub HENRICO VI. nec non Theodoricus d) sub Ottone IV. amplissimum munus

a) Vid. dipl. FRIDERICI I. de a. 1164. vice Philippi Colonensis Archiepiscopi et Italiae regni Archicancellarii recognitum in GVICEHONONII Bibl. Selus. cent II. n. 2. apud Hoffmann. l. c. p. 187. Conf. diploma eiusdem Imp. de a. 1177. apud MVRATORIVM antiquit. Ital. tom. I. p. 734. et dipl. de a. 1185. in VGHELLI Ital. sacra tom. I. p. 458.

b) vid. dipl. HENRICI VI. de a. 1191. apud Vghellum l. c. tom. II. p. 303. vbi Philippus totius Italiae archicancellarius vocatur.

c) Adolphi cen. totius Italiae Archicancellarii nomine recognitum est diploma HENRICI VI. de a. 1195. apud Vghellum l. c. tom. IV. p. 174. conf. aliud dipl. de a. 1196. ibid. tom. I. p. 421.

d) Theodoricus, Italiae archicancellarius, sub OTTONE IV. memoriam seruat Ottonis IV. diploma de a. 1210. apud VGHELL. l. c. tom. II. p. 175. et aliud de eodem a. ibid. p. 635. vbi per totam Italiam archicancellarius vocatur. Singularis est subscriptio diplomatis Ottonis IV. de eodem a. apud VGHELLVM tom. I. p. 555. Ego Conradus Spirensis Episcopus Imperialis aulas Cancellarius nomine D. HENRICI Colonien. Archiepiscopi et totius Italiae archicancellarii recognoui. Eo enim tempore THEODORICVS sedi Colonensi praefuit, non HENRICVS, qui demum a. 1225. Engelberto in archiepiscopatu successor. conf. Norbof. in Catal. Archiepisc.

Co.

H



nus administrarunt. Idem Theodoricus archicancellarium continuavit sub *Friderico II*, quo regnante iam morem inualuisse obseruat Praesul Gotwicensis, e) vt in diplomatum subscriptionibus nomen proprium archiepiscopi Coloniensis omitteretur, diplomatis ipsius vice generatim recognitis; quamquam huius moris iam sub *Friderico I.* supersint exempla f). Eodem Imperatore regnante, Theodorici successores *Engelbertus I.* g) et *Arnoldus* h) archiofficio Italico functi sunt. Qui denique inde usque ad Carolum IV. floruerunt Archiepiscopi Colonienses

*Colon.* apud MEIBOM. tom. III. p. 8. Eadem difficultas premit aliud diploma eiusdem Imperatoris de a. 1210 pro ecclesia Vicentina apud VGHELLVM tom. V. p. 1049. vice FEDERICI, Coloniensis Archiepiscopi, et totius Itiae archicancellarii recognitum, vbi in *Federico* manifestus error conspicitur. Cum defint in utroque diplomate alia suspicionis argumenta, spalma utriusque diplomatis vel notarii Itali illud scribentis vel illud describentis errore excusare, et loco *Henrici* et *Federici* ex simili vocis sonu neglectum vocabulum THEODORICI restituere liceat. Huius enim archiepiscopi vice recognita sunt alia Ottomana diplomata de eodem anno apud VGHELLVM tom. II. p. 175. tom. IV. p. 633. in MARGARINI bullar. *Casna.* tom. II. p. 240. apud LVNI GIVM in *Ced. Ital. dipl.* tom. I. p. 1566.

e) in *Prod. Chron. Gotwicens.* tom. I. p. 430.

f) vid. dipl. FRIDERICI I. de a. 1185. apud VGHELLVM 1. c. tom. II. p. 697. quod vice Coloniensis archiepiscopi et Itiae archicancellarii recognitum est.

g) vid. diploma Friderici II. de a. 1221. apud VGHELLVM 1. c. tom. V. p. 838.

h) Dn. de GVDENVS in *cod. dipl.* tom. I. p. 570. et. tom. II. p. 944.

ses *Engelbertus II. Sigfridus, Wicboldus, Henricus II. Valramus, Guillelmus*, in propriis documentis titulum *S. R. I. per Italiam archicancellarii frequenter adhibuerunt i).*

### §. XVIII.

#### *Ratio archicancellariatus Italici aeuo recentiori.*

Ceterum quamquam Imperatoribus, in Italiam proficiscentibus, archipraesules Colonienses olim ut plurimum comites adhaeserint rerum Italicarum expediendarum gratia: ob has tamen itineris et archiofficii difficultates seculo XIV absentes cooperunt per constitutum vice Cancellarium supremam Italcorum scriniorum curam subire, idque ex priuilegio Ludouici Bauari Henrico II, archipraesuli Coloniensi, Spirae mense dec. a. 1310. dato, cuius nondum publicati sententiam his verbis effert GELENIVS a), vt

H 2

li-

i) Tabulas, quibus titulo *S. R. I. archicancellarii per Italiam vtuntur*, exhibet LVNIGIVS in spicileg. eccl. Part. I. Fors. p. 360. 374. 393. 399. 435. 473. et Dn. de GVDENVS in Cod. dipl. tom. II. p. 1007. 1054. 1070. 1154. In tabulis Germanicis subinde vtuntur titulo des Heiligen Roemischen Reichi Erz-Canzler Over Berg. vid. LVNIGIVM I. c. p. 435. et Dn. de GVDENVS I. c. p. 1054.

a) de magnitudine Coloniae lib. I. fyn. VII. §. 27. p. 76. Exemplum subcriptionis Vicecancellarii est in diplomate Ludouici Bauari, quo dynastie de Reuzze et Plauen a. 1349. regalia Papiae confirmauit apud LVNIGIVM in Arch. imp. Part. spec. cent. II. fors. III. p. 208. Ego Fr. Han-



*liceat ab itinere Italico abesse, archicancellariatus officium exercere per substitutum, et nihilominus emolumentis frui. Cessantibus tandem Imperatorum in Italiā expeditionibus, occasio deficere coepit Archicancellariatum actu exercendi, siquidem archicancellariae iura intra cuiuslibet archicancellariatus terminos dum adstringi cooperant, b) negotiis vniuersis in cancellaria eius regni expeditis, in quo Imperator commorabatur. Tantum vero abest, vt ob deficiētem functionis exercendae occasionem ius amissum existimari queat, id quod a iuris rationibus alienum est: vt potius archiepiscopis Coloniensibus nihil praeter occasionem, quam desiderat archicancellariatus Italici functio, ad ipsius exercitium deesse videatur, et, si a functione recesseris, ipsa amplissima dignitas et iura honorifica archicancellariati annexa, et in Aue rea*

*ricus sacre Theologie Doctor fungens officio Domini serenissimi Imperatoris Can-  
zalri, vice Domini archiepiscopi Colloniensis Archicanzelari per Italiā re-  
sognosus.*

**b)** Hoc illustrat diploma Ludovici Bauari de a. 1314. terminos archicancellariatus Treuirensis sic definiens, apud Dn. de HÖNTHEIM in his dipl. Treuir. tom. II. p. 93. Promittimus et volumus, quod si consingat nos invare terminos archicancellariae praedicti archiepiscopi Treuirensis, videlicet terminos Galliae aut regni Arclateni nostri aliorumque locorum, in quibus debet et consuevit ipse vel sui praedecessores iura archicancellariae exercere, quod custodiare sigillorum nostrorum, iura archicancellariae praedictae, ac redditus et bona eiusdem levare et percipere cum insigniis officiis anreditiis, ces.

rea Bulla tit. XXVI. §. 2. et tit. XXVII. §. 2. expressa,  
salua semper et integra sint seruata. c)

### §. XIX.

#### *Electoratus Coloniensis origines.*

Eo tempore, quo electio imperatoris penes omnes imperii status, et praecipuum aliquod in ea ius penes principes proceres fuit, inter hos *Coloniensem archiepiscopum insigni* in isto sublimi negotio auctoritate polluisse, a) electionum augustalium historiae euincunt. Neque id mirum videri poterat in archiepiscopo eius prouinciae, in qua erat archisolum, in principe inauguatore Regis electi, in archicancellario imperii, in principe imperii, in partes moderandi regni subinde viuis imperatoribus vocato. b)

#### *Quem-*

c) vid. IO. HENR. FELTZII *diff. de Elec. Coloni.* p. 11.

a) Inter principes regni archiepiscopos, quibus res publica curae fuit, *Coloniensis* refertur a Lambertu Scheffnaburg. ad a. 1066, *Principes regni, archiepiscopi Moguntinus et Coloniensis cum ceteris, quibus onus erat res publica, erbra conuenticula agunt.* Wibaldus in ep. ad Eugenium III. apud EDM. MARTENE in *Collect. Amplissima rom.* II. p. 514. mortem *Conradi* et electionem *Friderici I.* referens, se mox post illius obitum *Coloniiam profectum esse scribit, ut tanto esset Coloniensis ad prouidendum res publicae cauitor ac liberior, quanto esset inter suos ab enim turbulentas conuentio[n]is impetu securior.*

b) Ottonem II. fidei *Varini*, *Coloniensis Archiepiscopi*, commississe filium Ottonem III. refert DITMARVS ad. 3. p 347. *Annonis Archiepiscopi in moderando regno sub principe minore Henrico IV. auctoritatem emi.*



Quemadmodum vero his, qui *summa* in regno Germanico *officia* exercuerunt, *primus* inter Regni principes locus datus, et electionis negotium ex eadem archiofficii *praerogativa* ad summos regni officiales, reliquis statibus exclusis, circa finem seculi Xlll. redactum est: ita et *archicancellariatus Italicus* viam munivit Colonensi archiepiscopo ad illam dignitatem *praerogatiuam* et iura *Sacri Romani Imperii Electoris*, numquam deinceps in controversiam vocata. *Ab archiofficio* natales electoratus vel ideo repetuntur, tum quod iam olim ad Regni archiofficiales *primae partes* in Regis electione pertinerent, c) tum quod inde

nuisse, docet LAMBERTVS Schaffnaburgensis ad a. 1063, p. 719. et ADAMVS Brem. hist. eccl. lib. 3. c. 36. p. 42. Quanta apud Fridericum II gratia et apud imperii proceros auctoritate polluerit Engelbertus, Coloniensis Archiepiscopus, in Itinere imperatoris in Italiam Henrici regis filii tutor et totius Regni Romani per Alemanniam prouisor constitutus, docet Cesarinus Heisterbencensis in Vita S. Engelberti cap. 5. a Geleno notis illustrata p. 81. et GODEFRIDVS Colon. ad a. 1225. Exhibit HEINECCIVS antiquit. Goslar. lib. III. p. 237. diploma Henrici regis, vbi vocat Engelbertam familiarem principem nostrum, qui nostri et imperii curam gerit.

c) CHRIST. GEWOLDVS in comment. de Septemuiratu cap. VI. n. LXIX. p. 73. referit testimonium AMANDI, Friderici I. Secretarii, in libr. de primis actis a Friderico, in imp. peractis, qui recenset, sex aut octo principes officiatus regni residentes in arcane loco curiae regalis, ab hisque reliquas principes expertissime, ut eligeretur Fridericus: In hunc, inquit, si vestris vocibus, o OFFICIATI, consenitis, firmum robur habebit sui imperii. Ad


inde *praecipua ratio et occasio* nata sit, solis archiofficialibus, ceteris imperii principibus exclusis, sublimi augustalis electionis negotium vindicandi, siquidem vel hoc titulo non modo ceteri Germaniae archiepiscopi, velut Magdeburgicus, Iuuauiensis et

Bre  
Addit porro. *Cum ex secreto conclavi proadirent OFFICIATI, indicantes ipsos unanimiter Fridericum in Regem, seruatis de iure seruandis, elegisse: eundus OMNIVM ORDINVM aplausus est consecutus.* Cum his conspirat illustris locus apud ALBERTVM Stadensem in Chronico ad a. 1240. p. 312. quem tantum iustioris interpretationis causa reperimus. Postquam enim ausus Gregorii IX. in excommunicando Friderico II. et desideria eius ad Germaniae Archiepiscopos, quibus eos de novo Imperatore in locum Friderici ob excommunicationem quasi regno priusti, eligendo sollicitauerat, eum nihil addit profecisse, quod quidam principum si refero pserunt non esse SVI iuris (hoc est, EIVS videlicet, Pontificis) imperato-rem substituere (hoc enim volebat Gregorius, ut excommunicatum regno exueret alterius electionem sollicitans) "led tantum electum a principi-bus coronare. Electio enim ad istos dinoscitur pertinere. Ex practi-xatione principum et consensu eligunt imperatorem Treuirensis Moguntinus et Colonensis. Treuirensis licet de Aleman-nia non sit, ratione antiquitatis eligit, Palatinus eligit, quia dapifer est, Dux Saxonie, quia Marscalcus, et Margrauius de Brandenburg, quia Camerarius." Praetaxatio et consentitus ad principes, electio ad archiofficiales refertur, eodem modo, vbi in ante excitata testi-monio Amandi nominatum a ceteris, officiales elegerant, electumque Status Imperii aplausu suo comprobauerant. Praetaxatio nominacionem designat; quo sensu dicitur *praetaxatus* seu *praenominatus* auctor. du Fresne in gloss tom. V. p. 784. et tom. VI p. 1617. In epistola Alexandri PP. IV. de a. 1256. apud Leibnitium in Prodr. Cod. nr. Gent. u. XIII. p. 14. nominatio consensus et electio sic distinguuntur: ne ipsum ad hoc nominent, vel elegant, nec in eum consentiant. Conf. ERICVS MAVRITIUS de Orig. Elett. §. 9.



Bremensis, qui cum Rhenanis per omnia pari passu ambulare voluerunt, sed etiam ceteri principes seculares, quod omnes tali munere destituerentur, exclusi sunt. Itaque ex imperii obseruantia, cum ipso *Collegii Electoralis* ortu, nata firmataque sunt Electoris Coloniensis iura. De his tuendis primum, quod extat, foedus a WICH BOLDO, Colonensi archiepiscopo A. 1300. initum est, in quo a Ducibus Saxoniae, quorum causam in lite satis nota super electoratu Saxonico tuendam susceperebat, sibi stipulatus est reciprocum iurum electoralium tuitionem. Tabulae Wicboldi hae sunt: Nos WICHOLDVS dei gratia sancte Coloniensis ecclesiae archiepiscopus, sacri imperii per Italiam Archicancellarius notum facimus vniuersis, praesentes visuris, quod nos, si Romanum vacare contigerit Imperium, ad Electionem futuri Romanorum Regis, spectabilem et illustrem principem Dominum Iohannem, Ducem Saxoniae tamquam verum conprincipem nostrum admittemus, et electionis ipsius vocem approbabimus, ratam habebimus atque gratam, et cum ipso in electione predicta simul manebimus et stabimus fideliter et constanter, ipsumque in omnibus honoribus, iuribus, commoditatibus et profectibus, quae ex eiusmodi electione prouenire poterunt, fouebimus et promouebimus toto posse nostro. Et id quidem

pre-



prefatus Iohannes, noster conprinceps, ac Albertus eius frater Germanus, nobis facient vice versa. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum VI. Id. Ian. Anno Domini M. CCC. Ceterum sublimem Sacri Romani Imperii Electoris dignitatem amplis imperii territoriis tuerunt archiepiscopi, siquidem praeter terras archiepiscopales possident Angariae et Westphaliae ducatum, Philippo Archiepiscopo inter infelicia Henrici Leonis fata a Friderico I. a. 1180. concessum, d) Comitatum Hilicodiensem, vulgo Hulckrade, ab Henrico II. Archiepiscopo a. 1323. aere redemptum, e) Comitatum de Hochsteden ex liberalitate Conradi I. Archi-

d) Diploma Friderici I. de a. 1180. exhibet Gelenius de magnis. Colon. lib. I. Synt. 7. p. 73. Huius concessionis confirmationem ab Ottone IV. imperandi commodam occasionem in ipsis regni dissidiis inter Ottонem et Philippum nactus est Adolphus archiepiscopus vi diplomatis OTTONIS IV. de a. 1200. apud GELENIVM in vita S. Engelberti p. 27. Sed idem Adolphus, largitionibus Philippi ab Ottone IV. alienatus, mox idem confirmationis beneficium a novo fautore impetravit vi diplomatis PHILIPPI Regis de a. 1204. apud GELENIVM l. c. p. 33.

e) Rerum omnem recentes GELENIVS de magnis. Colon. lib. I. Synt. 7. n. 27. p. 76. Sed quod praecipuum, inquit, in Colonensem sedem Henrici beneficium est, magna pecunia vi redemit a Theodorico Louone ex Clivensi sanguine Magnate Comitarum Hilicodiensem, cuius limites longe lateque protenduntur in Lotharingiae inferioris et dioecesis Coloniensis veteri distrittu, ad urbem amque Arphae et Arnaphae ac Crurae ripam suxam Nouissimum usque ferme ad muros Colonienses, quae de re extant diploma a. 1323. 30. Ianuarii.



chiepiscopi ex gente comitum istius ditionis ecclesiæ Colonensi sec. Xlll. collatum, f) et Comitatum Arnsbergensem, quo, tamquam imperii feudo, vi cessionis a Gothofrido ultimo Arnsbergensi Comite Annaque Cliuica eius vxore improlibus Cunoni administratori Colonensi factae, g) a Carolo IV. a. 1371. primus inuestitus est h) Cunonis in sede Colonensi successor, Fridericus i).

## §. XX.

### *De Ordine et Sessione Electoris Colonensis inter S. R. I. Electores.*

Jura, quae Electoris Colonensis perinde ac omni-

f) GELENIVS l. c. p. 75. SAMMAR THAN. Gallia Christ. tom. III. p. 693. et FELTZIVS in diss. de Electore Colon. p. 37. p. 54. ubi eam acquisitionem ex Chronico Colonensi illustrat.

g) Hanc A. 1363. d. 25. Aug. factam esse refert Gelenius l. c. p. 76.

h) Literas inuestituræ Caroli IV. d. d. XII. Cal. Dec. a. 1371. publici iuris fecit GE. CHRIST. IOANNIS in spicileg. tabul. p. 54. in quibus acquisitione huius comitatus sic recensetur: sicut quondam Gotfridus, ultimus comes dicti Comitatus, qui pridem nullis heredibus ex suo corpore procreatus seu etiam alias ex linea masculina ab ipso descendensibus, post se dimissis, ut dicuntur, decessit, dictum Comitatum cum omnibus suis pertinentiis superius expressatis, ex certis causis, animum suum ad hoc mouentibus, dum adhuc in humanis ageret, transiit in ecclesiam Colonensem.

i) Ex his intelligitur, Colonenses Antistites ceteros Archiepiscopos Rhenanos potentia longe anteire; et eo collineant veteres illi, eoque notissimi, leonini:

Treuiris aestate, sed rerum proprietate

Gaudet Agrippina, sed honore Moguntia prima.



omnium S. R. I. Electorum communia sunt, persequi, instituti ratio non fert. a) Sunt tamen quae-dam praecipua Electoris Colonensis iura in Ordine et Sessione inter S. R. I. Electores. In *Aurea Bul-la* proximum in Augustali electione suffragium da-tum est Electori Colonensi post Treuirensem. Dein-de praecedentia inter tres Electores archiepiscopos ita definita est, b) vt *Treuirensis ex opposito et linearis directione versus imperatoris faciem, Moguntinensis vero in suis dioecesi et prouincia, et extra provinciam suam in toto Cancellariatu suo Germanico, prouincia Colonensi duntaxat excepta, et demum Colonensis in suis dioecesi et prouincia, et extra prouinciam suam in tota Italia et Gallia in dextro latere Romanorum Caesaris sedere valent et debeant, in omnibus publicis actibus imperialibus, puta, iudiciis, collationibus feudorum, in refectionibus mensarum ac etiam in consiliis et omnibus aliis agendis.* Itaque in definiendis praecedentiae limitibus tam prouinciarum ecclesiasticarum, quam archicancellariatum ratio habita est: et prouinciarum quidem vel ideo, quod quamquam Archiepiscopus Moguntinus *ius primae* post Pontificem *sedis in Germania olim obti-*

a) Haec inter plures ex instituto exposuit illustr. IO. IAC. L. B. de WAL-POTT in diss. de *Electorum iuribus praerogatis sub praesidio IO. HENR. FELTZII* habita Argent. 1710.

b) *Aurea bullæ cap. III. §. 2.*



nuisset c), prouincia tamen Coloniensis, in qua Archiepiscopo Coloniensi idem ius primae sedis post pontificem ex Leonis PP. IX. priuilegio confirmatum est (§. IX.) excepta esset, ac proinde Moguntinum in Prouincia Coloniensi loco cedere oporteret Coloniensi. Archicancellariatum vero vel ideo praecipua ratio habita est, quod huius archiofficii, in expediendis negotiis regni occupati, maxima semper in Imperio Germanico dignatio fuerit, indeque Archicancellariis Imperii princeps inter imperii Ordines, et inter ipsos archicancellarios ei, qui antiquitate archiofficii alterum antecederet, potior locus sit tributus. Egregie rem illustrating tabulae Regis ALBERTI de a. 1298. d) quibus Moguntino ratione archicancellariae primum inter imperii Proceres locum vindicat, cum Treuirensis in decreto electionis, errore facti, priori loco esset scriptus. Statuimus, inquit, et publice diffinimus, quod Venerabilis Gerhardus, Sedis Moguntinae archiepiscopus, Sacri imperii per Germaniam archicancellarius, sive post eum successores in ordine et honore processionis sessionis nominationis et scripture RATIONE ARCHICANCELLARIE per Germaniam inter principes esse debent et locari priores non obstante quod in de-

e) vid. Bullam Benedicti VII de a. 975. apud Dn. de GVDENVS in Cod. dipl. tom. I p. 10.

d) apud Dn. de GVDENVS l. c. tom. I. p. 906.



decreto electionis nostre ab illustribus Germanie principibus celebratis, supradictus Gerhardus Archiepiscopus ordine praepostero et turbato post Venerabilem Boemundum Treverensem Archiepiscopum tam scriptura quam figura positus inuenitur per errorem facti, quem in hac parte scienter damnamus, ne trahatur in consequentiam ullo modo. Eadem praeminentiae ratio, qua Moguntino vigore archicancellariatus per Germaniam prior locus datus est, fuit Coloniensi in simili praerogativa vi archicancellariatus per Italiam obtainenda. Itaque in Germania, praeter Moguntinum, olim nemini inter imperii Status cessit Coloniensis. Ambo videlicet archiepiscopi soli inter Germaniae praelatos seculo XI. XII. et XIII. amplissima archicancellariatus dignitate functi sunt, Moguntinus per Germaniam et Coloniensis per Italiam. Treuirensi vero demum circa finem seculi XIII. obuenit S. R. I. per Galliam et Arekense regnum archicancellariatus. Praerogativa Coloniensis eminet in comitiis Moguntinis de a. 1184. in quibus Moguntinus dextrum ab imperatore Friderico latus, Coloniensis sinistrum tenuit, idque hic, iudice imperatore, aduersus abbatem Fuldensem tuitus est. e) De secundo post imperatorem loco cum Coloniensi contendebat abbas non cum Treuirensi, argumento satis idoneo, Colonensem

e) Rem omnem recenset ARNOLDVS Lubeccensis lib. III. c. 9.



sem tum secundum ab imperatore locum ipso usu obtinuisse. f) Sed mota saepius Electori Coloniensi est controuersia super iure prioris loci a Treuirensi, ad antiquitatem ecclesiae suae prouocante. Cuius quamquam in definiendo inter *statu imperii* loco idonea ratio haberi vix posset: placuit tamen Carolo IV. media sententia, vt, loco e regione Imperatoris Treuirensi assignato, Coloniensi sinistrum ab imperatore latus daret, si publicus electorum conuentus in Cancellariatu Moguntino congregaretur, contra vero Coloniensi honorem dextrae permetteret conuentu in prouincia Coloniensi, vel in Italia vel in Gallia, videlicet Belgica, instituto. Ceterum quae et hunc sessionis ordinem premebant difficultates, sublatae sunt noua *Electoralis Collegii conventione*, a. 1653. inita, g) in qua inter Electorem Coloniensem et Treurensem alternativa placuit secundum modum ibidem yberius definitum.

### §. XXI.

#### *De Iure Archiepiscopi Coloniensis consecrandi electum imperatorem.*

Antiquissima et praecipua dignitas est Archie-

f) In ordine scripturae et subscriptionis prerogatinam Electoris Coloniensis non minus feruam esse, illuſtrat dipl. Caroli IV. de a. 1356 apud Dn. de GVDENVS l.c. tom. III. p. 401. cui testes subscripti sunt, *Wſibelmus Coloniensis, et Boemundus Treuirensis, Archiepiscopi, Sacri imperii per Itiam Galliam et regnum Arelatenſe archicancellarii, Cont. tabulae de a. 1384.* et 1385. *ibid. tom. III. p. 531. et 567.*

g) LVNIG *Arch. Imp. Part. Spec. P. I. p. 319.*

piscopi Coloniensis, electo Romanorum regi pri-  
mum diadema regium imponendi. Ex Aquensi ciui-  
tate, quam Carolus M. regni sedem constituerat, ad  
Coloniensem redundauit id honoris, vt eidem ex iure  
dioecesano consecrationis imperatoriae partes defer-  
rentur, quibus in consecrando Ludouico Pio primus  
functus est Hildebaldus, Coloniensis Archiepisco-  
pus. a) In inaugurando Ottone M. Wigfridus, non  
minus ac Hermannus in inaugurando Henrico III. ad  
ius dioecesos prouocarunt. Prior diserte, quoniam ad  
suam dioecesin pertineret locus inaugurationis, sibi conse-  
crationis honorem postulasse dicitur; b) alter eun-  
dem ex eadem ratione obtinuit. c) Eadem Hermanno  
regiam consecrationem intralimites suae dioecesos facien-  
dam a. 1052. corroborauit Leo PP. IX. d) idque  
repetitis bullis Eugenii III. et Alexandri III. e) con-  
firmatum est. Tandem Carolus IV. cum regum in-  
augurationibus destinauerat aeterna et in perpetuum  
valitura lege ciuitatem Aquensem, f) tum Coloni-  
ensi archiepiscopo tribuit perpetuum ius consecrandi  
regem, g) vt quod antea ex iure dioecesano natales  
du-

a) Magnum Chron. Belgum inter PISTORII script. tom. III. p. 53.

b) WITICH'ND'S Annal. libr. II. pr. apud MEIBOMIVM. tom. I. p. 642.

c) LAMBERIUS Schaffnab. ad a. 1054. Sed imperator, inquit, petrus Hermanni  
archiepiscopo hoc privilegium vindicabat propter claritatem generis eius, et  
quia intra dioecesin ipsius consecratio haec celebranda contigisset.

d) in privilegio de a. 1052. apud Miraculum Op. hisp. tom. II. p. 1131.

e) apud L'NIGIVM in spicileg. Ecclesiast. Part. I. Epist. p. 332. et 336.

f) in Aucta bull. tit. XXVIII. §. 5.

g) Aucta bd. intit. V. §. 4.



duxerat, iam ex Lege publica competere incoepit. Sed quemadmodum consecrationes extra Aquisgranum, vbi legitimum interuenit impedimentum, peragi permisit eadem lex publica: b) ita tum quidem et quando extra Aquas et Dioecesin regis coronatio peragenda erat, Coloniensi archiepiscopo quaestio moueri coepit a Moguntino super honore consecrationis. i) Sed et haec controuersia quae superiori seculo vtriusque aulae ingenia exercuit, finita tandem est amicabili compositione *ad d. XXV. Jun. clclvii.* inita, l) qua Coloniensis Archiepiscopus Moguntinum admisit ad alternas, si qua consecratio sit extra dioecesin vtramque, Coloniensem atque Moguntinam, peragenda, seruato ceteroquin vtriusque Archiepiscopi iure, consecrationem in sua cuiuslibet prouincia priuatine exercendi. Et ista quidem de praecipuorum Archiepiscopi et Electoris Coloniensis iurum originibus dicta sufficient. Neque enim ea vberius prosequi, et ad vteriora progredi, opusculi modulus patitur.

- b) *Aurea bull. tit. 28. §. 5.*  
 i) Scripta vtrinque edita et vtriusque partis argumenta recenset JO PETR.  
*de LVDEVIG in Comment. ad A. B. tom. I. p. 475. Conf. Vis ill. IO.  
 IACOB. MASCOVIUS de regali, imperialique Augstorum Germaniae  
 Augustarumque coronatione cap. II.*
- l) Tabulas conuentio[n]is exhibet LONDORPIVS *act. publ. com. VIII. p.  
 121, et LVNIG in arch. imp. Part. spec. I. Th. p. 400.*



Göttingen, Diss., 1753 A-C



VD 78





B.I.G.



1753,3 *P. C. 60.3*  
Pub. 8 num. 46.

4  
ORIGINES  
PRAECIPVORVM IVRIVM  
ARCHEPISCOPI ET S. R. I. ELECTORIS  
COLONIENSIS

POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

G E O R G I O II.

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIB. REGE  
DEFENSORE FIDEI  
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCE  
S. R. I. ELECTORE ET ARCHITHESAVRARIO  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
IN GEORGIA AVGUSTA  
INCLVTI ORDINIS IVRIDICI AVCTORITATE

PRAESIDE  
G E O R G I O L V D O V I C O  
B O E H M E R O D.

CONSILIARIO REGIO AVLICO ET ANTECESSORE  
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS OBTINENDIS  
DISQVISITIONI IN AVGVRALI SVBMITTIT  
AVGVSTVS EVGENIUS BERNARDVS FRANCISCVS

B O D I F E  
B O N N E N S I S.



ANNO CI<sup>o</sup> IC<sup>o</sup> CCLIII. D. XVII. AVG.

G O T T I N G A E,  
TYPIS GEORG. LVDOV. SCHVLTZII, ACAD. TYPOGR.

